


BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
6
A
30
NAPOLI



# L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI
# DE OPIFICIO DEI
## LIBER UNUS

RECENSUIT, VARIANTIBUS LECTIONIBUS, ANNOTATIONIBUS, CASTIGATIONIBUS, AC DISSERTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

F. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.

*AD SANCTISSIMUM D. NOSTRUM*

BENEDICTUM XIV.

P. O. M.








ROMÆ, cIↄ. Iↄcc. LIV.
EX TYPOGRAPHIA ANGELI ROTILII
IN ÆDIBUS DE MAXIMIS

*SUPERIORUM PERMISSU.*

*Nolite conformari huic Sæculo ; sed reformamini in novitate sensus vestri : ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Ad Rom. XII.

*Hæc enim pravitatis est caussa ; ignoratio sui, quam si quis cognita veritate discusserit, sciet quo referendu est, & quemadmodum sibi vita degenda sit : Cujus scientiæ summam breviter circumscribo, ut neque Religio ulla sine sapientia suscipienda sit, nec ulla sine religione Sapientia.* Lact. L. 1. Div. Inst. Cap. 1. Seg. 25.

J. ✠ M.

FR. RAYNALDUS MARIA A S. JOSEPH *Præpositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Bmæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo; ac ejusdem Sacri Montis Prior.*

TEnore præsentium facultatem impertimur Reverendo Patri Eduardo a S. Francisco Xaverio Sacerdoti Professo Provinciæ Nostræ Romanæ imprimedi Opera omnia Lactantii Firmiani cum notis, & Dissertationibus ejusdem a duobus e Nostris Theologis, recognitis. Datum Romæ in Conventu nostro SS. Theresiæ, & Joannis a Cruce pridie Kalendas Decembris 1753.

*Fr. Raynaldus Maria a S. Joseph*
Præpositus Generalis.

*Fr. Pius a S. Dominico Secretarius.*

AP-

# APPROBATIO OPERIS.

FIdem, qua paucis ab hinc annis in opuſculo, cui titulus *Apparatus ad novam Editionem Operum Lactantii Firmiani*, cum Rep. Litteraria, ſe ſe obſtrinxit; A. R. P. Eduardus a S. Franciſco Xaverio Sacri Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Alumnus, Sacræ Theologiæ quondam Prælector, S. Inquiſitionis Qualificator, Vir ſane emunctæ naris, Sacra, ac prophana eruditione abunde refertus, phyſicæ, ac Theologiæ apprime edoctus, modo ſolvere incipit; & a primo in ordine libro, de *Opificio Dei*, quem ſtylo diſertiſſimo, ac phraſi eleganti exaravit antiquiſſimus Auctor Lactantius Firmianus, initium ſumit. Hunc prius profert in lucem, ad normam Codicis Bononienſis correctum, Notiſque ſatis aptis illuſtratum; cui diſcurſum ex proprio marte erudite elaboratum præmittit, quo jure, & merito perſtringit eos Viros, qui *Sæculi* præſentis *Genio* nimis indulgentes, parum, ne dicam nihil prorſus, ſe credere oſtendunt; dum toti in naturæ arcanis rimandis ſolliciti; ad Deum Optimum Maximum, ipſius Naturæ, totiuſque Univerſi Orbis Creatorem Mirificum ſuæ mentis oculos attollere dedignantur. Ima ſemper reſpiciunt, ſuperna vero aſpernantur, ac negligunt. Supralaudatum Librum mihi attente expendendum demandavit Reverendiſſimus P. Joſephus Auguſtinus Orſi Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter; cujus juſſis, ſtatim parui, & pro mei imbecillis captus viribus ſedulo luſtravi, nihilque penitus in eo offendi vel Fidei Orthodoxæ diſſonum, vel bonis moribus adverſum, vel injurium in ſummos Principes; quapropter ut publici juris fiat pro eruditorum bono, ac Auctoris lau-

laude dignum existimabam ex Sedibus S. P. N. Francisci ad Ripas Tyberis prid. Kal. Xmbris anno a Virginis Partu septingentesimo quinquagesimo tertio supra millesimum.

*Fr. Franciscus Antonius a Colle-Longo Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ Sacræ Theologiæ Lector emeritus, ac Sacrorum Rituum Congregationis Consultor.*

LI-

# APPROBATIO OPERIS.

LIbrum, cui titulus *L. Cælii Firmiani Lactantii de Opificio Dei* a Clar. Auctore A. R. P. F. Eduardo a S. Xaverio Carm. Excal. Ecclesiasticarum rerum scientia aliunde celebri SSmo D. N. PAPÆ BENEDICTO XIV. nuncupatum, una cum ejusdem *Isagoge ad Sæculi Ingenium emendandum* Reverendissimi S. Palatii Apostolici Magistri jussu diligenter perlustravi. In eo dicendi elegantiam, eruditionis copiam, & theologicæ disciplinæ robur, vehementer, sum admiratus. Pietatem quoque, summopere probandam, conspexi, qua movetur idem ad compescenda quorumdam nostri præsertim ævi ingenia, quæ circa Religionis summam suas opiniones temere immiscent. Opus hoc, Eminentissimi, ac Reverendissimi Cardinalis Galli, nuper ad S. Purpuram merito evecti, dum illud recognoscere iucæperat, multas laudes excepit. Theologum hic appello, omnium judicio peritissimum, ut pateat, quanti faciendum istud sit, quod illius commendationem promeruit. Nihil autem ibi reperi catholicæ circa Fidem, moresque, Doctrinæ dissonum, nihil huic penitus non conforme. Imo tale esse arbitror, ut ejus lectio, ad intemperans Opinatorum ingenium, quum, vivissime, eorum præsertim deliramenta exprimat, coercendum, plurimum valere possit; proindeque, quod typis publicis evulgetur, dignissimum sane habeatur.

*D. Thomas Rita S. Theologiæ Lector Emeritus, & S. Agnetis extra Muros Urbis Præses die 12. Xbris 1753.*

Era-

# APPROBATIO OPERIS.

ERuditione, Doctrina, Methodo, Diligentia, cæterisque Dotibus, quæ Authorum scripta commendant, abunde coruscant Commentaria, & Dissertationes, quæ in omnia Lactantii Firmiani Opera Vir Cl. P. Eduardus Franceschini a S. Francisco Xaverio elucubravit, & non vulgari cum sui Nominis Gloria editurus est. Quapropter cum jubente Reverendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost. Opus integrum attente perlegerim, & nihil in eo quod Fidei Dogmatibus, aut morum integritati adversetur, invenerim, Typis vulgandum censeo. Romæ ipsis Kal. April. Anni 1754.

*Michael Joseph Morei Arcadiæ*
Custos Generalis.

IM-

*IMPRIMATUR.*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

*F. M. de Rubeis Patriar. Conſtantinop. Viceſgerens.*



*IMPRIMATUR.*

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Mag. Ord. Prædic.

*SANCTISSIMO DOMINO,*
AC PATRI OECUMENICO.

# I S A G O G E

## Ad hujus ingenium Sæculi emendandum.



Ucii Cælii Lactantii Firmiani opera, cum Clarissimorum Virorum notis, meisque castigationibus, atque Dissertationibus, jamjam typis editurus, circa quod in apparatu (1) ad eandem editionem, duobus ab hinc annis in lucem dato, pollicebar fore, ut primum amplissima, deinde contractiori forma ad usum studiosæ juventutis, in modum scholis usitatum, concinnata spargerentur in vulgus: operæ pretium duxi, Beatissime Pater, mutare consilium. Non uno ad id argumento permotus fui. Voluminum scilicet mole, a studiosis vix libenter tractanda: impensarum onere, curatoribus quidem gravi, nec em-



(1) Præf. pag. IX.

emptoribus grato; quæ profecto distractionis difficultas! quod Lectoris incommodum! & alia id genus, quæ etsi neminem invitum cogerent; impeditam tamen reddere possent lectionem eorundem, quam facilem, expeditamque postulat hujusce nostri periclitantis *Sæculi Ingenium*, & urgens præsentis remedii necessitas. Vidi enim, nec sine maxima animi ægritudine cognovi, quantum delicata, inquieta, ac fastidiosa sit ævi nostri eruditio, quæ quum novorum in dies systematum architectos, vetusta suffodientes ædificia, ac jamdiu statutos humanæ rationis limites deturbantes, excitaverit: arcanum quoddam ad sapientiæ arcem iter placidum molitur, in quo qui duces ultro se transeuntibus humanissime offerunt, non magnis gaudent voluminibus, quorum solo sudant, ac pene fatiscunt intuitu; sed paucis quibusdam paginis, auro, minioque signatis, ac eloquentiæ melle delibutis, vulgus ignarum virorum, mulierumque allicere quotidie non cessant.

II. Non uno eos nomine appellare potero, quum Protheo mutabiliores, si in jus rapiantur, eorum quilibet.

*Fiet aper; modo avis: modo saxum,*
*& quum volet Arbor* (1).

Quorum omnium imagines insignia sunt occultæ illorum philosophiæ. Pansophos tamen

(1) Hor. Serm. L. II. Sat. III. verf. 73.

men primum non incongrue dixero, utpote qui generatim omnes ſapientiæ receſſus, & cunctos Naturæ aditus ſe facile recluſuros pollicentur: quamquam his magiſtris, non ſolum, ut quidam ait (1) *ad ignorantiam*; ſed etiam ad impietatem *patentiſſima via ſternitur*; *omnis ſolida doctrina evertitur*; *in cathedras, in forum cruda ſtudia propelluntur*. (Et utinam non in Eccleſiarum Sedes) *Pro philoſophis jejuni ac ſtrigoſi terminorum nomenclatores*; *pro Mercuriis ſtipites, & trunci, ubique in ſæculi noſtri infamiam triumphant*. Hi quippe otioſam, ac quietam ſine ullo labore, ætatem ad beatam vitam traducendam, ſe producturos polliciti, ineffabili quadam dulcedine, juvenum præſertim ingenia, illuc ſenſim pertrahunt, ubi exulare juſſis omnibus de vera religione, ac pietatis diſſerentibns magiſtris, rerum naturalium vanis hypoteſibus, inflata potius, quam ſolidis doctrinis imbuta, ita ultra vires evehunt, atque extollunt, ut lapſu tandem graviore ruant, neceſſe ſit. Non enim ſolum falſis ratiocinis illorum intellectum depravant; ſed quod deterius eſt, injuſtis laudibus ad ſuperbiam, atque jactantiam provocant, ingenerantque in eorum mentibus contemtum ſeverioris diſciplinæ, & amorem popularis

 au-

(1) Morhof *Polyſt.* *Tom.* 1. *L.* 1. *C.* 1. §. 24. Ibid. *L.* II. *Cap.* XI §. 20. & Tom. II. L. 1. *Cap.* XV. §. 18. Lilienthal. *Machivell. Liter. pag.* 96. Jo: Burch. Menck. *De Charlat. Erud. Decl.* 1.

auræ, quibus deinde postea ferantur in præceps. Hisce perniciosissimæ eruditionis ausibus nisi tempestive, & efficaciter occurratur, quo occultius, eo latius damnum ne allatura sit, vehementer verendum est: grandis quippe extra Romanum orbem dicitur eorum numerus (1), qui hanc viam ingressi sunt; nec plane ignotus omnino nobis est modus, quo sub obtentu eruditionis, ac jucundissimæ felicitatis, belluarum ritu in vincula sese injiciunt insolubilia, antequam ea evitare didicerint.

III. Scis profecto, ac bene intelligis, BEATISSIME PATER, quid loquar. Quid enim est, aut aliquando fuit, sive in divinis, sive in humanis literis tam arcanum, tamque oculis, vel perspicacioribus impervium, quod TE diu latere potuerit? Ecquid admirabilem Sapientiæ TUÆ amplitudinem queat umquam defugere? Testibus veritas ista non eget. Jamdiu est, quod literato orbi se prodidit TUUM istud, pene dixerim, divinum ingenium, omnium scientiarum genere, bonarumque artium disciplinis ab adolescentia imbutum, studiis assiduis excultum, atque ad miraculum usque gravissimis exercitationibus expeditum, quo omnia nosti, & cuncta, quæ mens humana penetrare, seu conjicere valeat,

(1) Morhof, Diss. de Hist. C. VII. p. 29. Polyst. Tom. III. L. V. C. I. §. 8.

leat, non solum Tibi manifesta fiunt; verum etiam, quod rarissimum semper fuit, alios quoque perspicue, graviterque doces, & ardua quæque, ac difficilia in summis etiam totius Ecclesiæ necessitatibus, quotidie explanare, & dilucide explicare non desinis.

IV. Hinc factum arbitror, quod nullum hactenus ex iis, quæ moliebantur, opus conficere potuerint Philoscii Machinatores, quum mature, sapienterque prospexeris, ac summa prudentia præoccupaveris quicquid in suis latibulis ab iisdem fuerat excogitatum. Quare Te probaturum facile mihi persuadeo, quod ut in posterum quoque eorundem molimina impediri queant, Lactantii mei opera in lucem sub Tuis faustissimis auspiciis emitti inchoëntur. Iis siquidem, nisi me omnia fallunt, laquei detegentur omnes, quibus male feriati homines sub speciosa eruditionis, ac libertatis sentiendi larva, semitas complent; & quo olim successu ipse Firmianus in Protosophos irruens, ac in Christianæ Religionis hostes strenue decertans, eorum castra subvertit; eodem nunc novi illorum sectatores nunc conteri incipiant, nec nisi penitus deleti, induciis umquam frui permittantur. Interea quid hac Isagoge velim, humillime, ac ingenue sic breviter expono.

V. Consilium hocce, cogitanti olim mihi, & sæpe numero cum novissimis quorundam

philosophorum placitis antiqua conferenti, in mentem venerat. Contemplanti namque sæculi nostri faciem, tempora illa mihi jam rediisse videbantur, in quibus (1) *tanta temeritate homines exstiterunt, ut ea quæ abstrusa prorsus, atque abdita Deus esse voluit, scrutarentur, & naturam rerum Cælestium, terrenarumque conquirerent, quæ a nobis longe remotæ, neque oculis contrectari, neque tangi manu, neque percipi sensu possint; & tamen de illarum omnium ratione sic disputant, ut ea, quæ afferunt, probata, & cognita videri velint*. Iccirco ne ex iisdem conatibus eædem apud nos consequerentur delirationes, quæ antiquorum philosophorum mentes invaserunt, remedium, ex eodem fonte petitum, tacite adhibendum esse, putaveram. Quia tamen illud quoque vidi, quod illorum plerique, Lactantii nostri authoritate abutebantur, ubi id verba quædam pati poterant, vel eam parvipendebant, ubi eorundem placita execrabant: pollicitus eram, me ea omnia, ubi se occasio obtulisset, in apricum nova ejusdem operum editione daturum, quæ *ad detegendas heterodoxorum fraudes, atque fallacias apta fore* existimarem (2). At quum inter eos, nescio quis, extiterit, qui se, suosque peti hoc opere præsentiens, ut

(1) Lact. *de Opif.* Cap. I. Seg. 15.
(2) In Apparatu pag. 111.

ut incæpto abſtinerem, arroganti me ſcommate aggreſſus eſt; jam mihi amplius nihil occultandum, nec diſſimulandum diutius fuiſſe arbitratus ſum, quoniam eum, unum ex illis eſſe facile conjicio, quibus expugnandis labor iſte meus potiſſimum ſuſceptus eſt.

VI. Verba ejus iſtahæc ſunt in libello anonymo, ad me nuper miſſo, typis Gottingenſibus excuſo (1). *Non bene novit R.P. ſæculum noſtrum, qui putet, ſe poſſe ea ratione gratiam cum illo inire. Detegere fraudes eorum, quos Heterodoxos vocat Italia, in Lactantio edendo commiſſas, dura profecto provincia fuerit.* Et poſt pauca, aſteriſco appoſito, hanc notam indicat ad calcem ſequentis paginæ exaratam: (2) *Non poſtulamus controverſias de religione attingere in opere, quod omnibus, qui ubique ſunt ſtudioſi bonarum literarum, ſine diſcrimine ſacrorum, quæ colunt, prodeſſe optamus: ſed ad æquitatem naturalem injuſtos homines, & ad humanitatem revocare, ſi liceat, velimus.*

VII. Quo animo, qua ratione, quove ſcribendi genere hic homo locutus ſit; parum refert expendere. Quis enim non videat, hunc ex illorum eſſe grege, quorum, uti dixeram, (3) cæcum pectus, *errorum ta-*



(1) Relationes de libris novis MDCCLII. Faſciculus III .p. 49.

(2) Ibidem pag. 49. Thomæ Hobbes placitum exprimunt hæc verba, ut infra oſtenditur §. LIII.

(3) In Appar. pag. X.

*tabe infectum, ad phrænesim usque laborat?* Quid ergo mirum, si remedia respuit suæ impotentiæ accommodata, & in medentem irruens, eidem parat, quæ sibi necessaria inconditis interdum sermonibus languens in delirantibus natura deposcit? Sinamus ergo, ut de me dicat (1). *Opus ne habet, qui sic loquitur, cui medium venam pertundant Medici?* Maledicta pro conviciis non reponam; sed benigne Hippocraticis vinculis rabidas ejusdem manus tandiu coërceri opto, donec in hoc *De Opificio Dei* libello, tamquam in politissimo speculo, se ipsum totum contempletur, & probe noscat quantum ab homine distet (2). *Hæc enim pravitatis est Caussa Ignoratio sui, quam si quis cognita veritate discusserit, sciet quo referenda, & quemadmodum sibi vita degenda sit. Cujus scientiæ summam breviter circumscribo*, inquit Lactantius, *ut neque religio ulla sine sapientia suscipienda sit, nec ulla sine religione probanda sapientia*. Deinde, eum ex eadem doctrina doceam, sibi, aliisque frustra a nobis *prodesse* quocumque modo *optare*, *ac ad naturalem æquitatem, humanitatemque homines injustos* Lactantianis præceptis *revocare*, si omnino de religionis silendum est controversiis; quum is totus sit in eo, ut disertissimis

(1) Relat. pag. 50.
(2) Lact. L. I. Divin. Inst. Cap. 1. Seg. 25.

ſimis verbis ; ac invictis rationibus oſtendat: (1) *Homines ideo falli, quod religionem ſuſcipiant omiſſa ſapientia, aut ſapientiæ ſoli ſtudeant omiſſa religione: quum alterum ſine altero eſſe non poſſit*. Palamque omnibus demonſtret, quod homines hujuſmodi (2) *non tantum religionem aſſerere noluerunt; verum etiam ſuſtulerunt, dum ſpecie falſæ virtutis inducti, conantur animas omni metu liberare: quæ religionis everſio, Naturæ nomen invenit*.

VIII. Diſcet fortaſſe ex his, me *ſæculi noſtri ingenium* non omnino ignorare; ſibi vero ignotam hactenus fuiſſe Lactantii de ſapientiæ ac religionis indiſſolubili fœdere doctrinam: ſimulque intelliget, me iccirco nolle ab hoc *ſæculi Genio* gratiam inire, quia apprime, ac intime novi, illum eſſe, de quo Apoſtolus monet (3). *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri: ut probetis, quæ ſit valuntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. Sed quid prodeſt unicum hominem, & quidem noſtram reſpuentem qualemcumque in iis recenſendis diligentiam, niſi & aliis opem ferre nitamur, qui per errorem, & ducum fraudem, viam perditionis ingreſſi ſunt, & larvatis ſceleribus adhærentes quotidie corruptiores evadunt? Sine

(1) Lact. L. III, Cap. XI. Seg. 3.
(2) Idem ibidem Cap. XXVIII. Seg. 3.
(3) Ad Rom. XII. 2.

Sine ergo, BEATISSIME PATER, ut theatri ſiparium auferam, & omnibus manifeſtum reddam, quomodo Religionis, ac ſapientiæ pantomimorum peſſimi, Plautini Mercurii ad inſtar [1], qui ex Comœdia, & Tragædia novam fecit Tragicomœdiam, ex depravatis totius Philoſophiæ, ac Theologiæ principiis, ad *Sæculi ingenium* ſine fundamento conſtructis, religionum *Adiaphoriam*, ſub falſa virtutis larva, humano generi pernicioſiſſimam, in ſcænam induxerunt, ne ſpectatores terrerentur, quum primum prodire animadvertiſſent, quam multa, quam ſtulta capita, & membra in unum tandem omnium, quæ dicuntur monſtra, monſtroſiſſimum corpus, coaleſcere geſtiant: quamquam inter ſe tantopere repugnant, ut citius funiculos bicolores ex arena, quam ex lana confici, & lucem inter ac tenebras firmari fœdera, quam illæ inter ſe cohærere queant.

IX. *Sæculi* itaque noſtri *Genium*, ſi quis noſcere velit, non Ethnicorum ritu putandum eſt: Deum aliquem eſſe (2), *cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit*. Aut genus quoddam eorum, quæ Fata apud eoſdem audiebant, & alternis imperiis ſæcula regere credebantur, quia ſuos mores, vel repugnantibus hominibus, tanta vi, tantaque efficacia-

(1) Plaut. in Prol. Anphitr.
(2) Cenſor. *de Die Natal. Cap.* III.

ficacia humanis pectoribus inspirare putabantur, ut quocumque vellent, singulos adigerent, ac ineluctabili, suavique violentia perducerent. Nam ne aliquis hæreat in nomine, vel timeat sibi ethnicas insidias parari, id ad opportunitatem mutant, & nunc *boni Gustus*, nunc *sentiendi libertatis*, nunc *sani criterii* vocabulum ad eum indigitandum usurpant; re vera tamen, eum esse sciant, *quorundam fatuorum hominum pravam opinandi consuetudinem, cui sive in moribus, sive in doctrinis plerique sese accommodare præclarum putant: contra dicere minime honestum: utile fere nemo, sibi persuadet*. Quoniam cerebrosi quidam bonarum artium, probatorumque morum corruptores, in compitis, in castris, atque etiam sæpe in tabernis, tamquam capita, & lumina phantasticæ cujusdam Reipublicæ, quam se condidisse, falso sibi, aliisque jactitant, ita omnia moderari videntur, ut pro libito laudum præmia, ac vituperationum pænas, hominibus sibi invisis, vel saltem non obsequentibus, decernant. Idcirco vel spe illarum illecti, vel istarum timore conterriti, alii quidem eorum gratiam Græca fide mercantur. Alii mutuum eorundem aucupium a Terentiano (1) Parasito didicerunt, quo non solum illorum gregem in dies augent; sed quisque pro virili obvium quemque invitat, polliceturque: Ve-

(1) Terent. Eunuch. Act. II. S. II. vers. 17.

*.... Velis tantum, & peream, nisi*
*fere secundus,*
*Doctorum in regno fieri merearis, &*
*Archon* (1).

Sufficit enim hos consectari (2): *hisce se non ita parare ut rideant; sed eis ultro arridere: eorum ingenia simul admirari; laudare quicquid dicunt; id rursum si negant, negare, adfirmare, si adfirmant; postremo imperare sibi omnia assentari* (3). *Hinc mutuis suffragiis, ille inter Poëtas Alcæus, hic Callimachus, & si plus exposcere videatur fit Mimnernus*. Inter oratores Tullius huic decedit, Plato illi inter philosophos: quo vis inter Politicos minor erit Aristoteles; vicissimque ita se efferunt encomiis, mactant honoribus, ut quis præstantior, aut dementior sit, non facile dignosci possit. Vix animosi quidam viri stultitiæ eos, atque dementiæ postularunt (4), quod in deridiculum caussa ipsa deflenda versa est; & si quis acriori stylo clam satyricis versiculis eos adortus est, jam suæ audaciæ pænas dedisse, palam gloriantur. Prudentior autem qui videri vult, mutus adstat, & quo tandem res deducatur patienter expectat.

X. Dicet fortasse aliquis: Antiqua hæc sunt.

(1) Luc. Sect. Q. F. Serm. IV. vers. 7.
(2) Ter. ubi supra.
(3) Hor. Epist. II. L. II. vers. 99.
(4) Menck. *Charlat.* Erud. Decl. I. p. 61.

ſunt. Quid ergo ad ſæculi noſtri *Genium*? Non inficior; vetuſta ſunt ſtultitiæ exempla, ſed quæ antiquis illis temporibus ſingularia erant, & palam exprobrabantur, caſtigabanturque. Unicæ tunc, vel mutilæ manus digitis iſtorum numerus teneri poterat; at nunc, non dico gregarios, qui facile ducuntur, ſed Duces, Archontas, Moderatores, Magiſtros, Imperatores, quis queat enumerare? Tunc, ut vitium, & quidem paucorum, increpabatur, nunc autem conſuetudo facta eſt, quæ etſi non ab omnibus probatur, toleratur tamen, & ſaltem diſſimulatione præteritur. Ii vero jam tantopere prævalent, ut omni jure damnandi, ipſi diem, imo jus dicant aliis, quorum judicium merito ſubire deberent. Ii Præceptorum partes agunt, qui numquam bonarum artium diſciplinam ſuſcepere, ſolumque norunt vitia cum virtutibus, veritatem cum mendaciis, opinionibuſque falſis componere, ac commiſcere: atque integra fronte, ac elato pectore dolos, & fraudes verſatili loquacitate propagare. Quanta autem mala in Orbem Chriſtianum hinc eruperint ab exordio hujus ſæculi repetam, antequam, oblata occaſione, ejuſdem impietatem profligandam aggrediar. Prodeſt enim non tacere, quum qui nos loqui cogunt, ex noſtro ſilentio redduntur inſolentiores, glorianturque, fucum ſe facere Magiſtratibus,

clam

clam irridere publicam Poteſtatem, Procerum Eccleſiaſticorum vigilantiam eludere, quum ſimulant, eos palam venerari; ſecreto tamen proſcindunt, conculcant, infamant: jactantque nullum jam apud nos, ipſis authoribus, remanſiſſe veritati præſidium, quo eorundem propulſemus injurias, machinaſque oppoſitas in Caput architectorum regeramus.

XI. Jam pridem intellexiſti, PATER BEATISSIME, quo mea tendat oratio; nec TE, Principem Optimum, Maximum alloquens, quo mihi dicendi genere agenda hæc cauſa ſit, obliviſcor. Quamobrem non declamatorum more exagerationibus utar, ut Sæculi hujuſce faciem turpiorem effingam; alienis utar verbis, quibus profecto, tamquam ingenuus pictor, oculatus teſtis imaginem ejuſce *Genii* adhuc adoleſcentis Tuis oculis exponet, ut nunc quantum inde virium acquiſierit intelligatur. *Ex Sæculi noſtri Genio* (1), *eſt legitimam poteſtatem in politicis, ac in ſacris ferre non poſſe: ardua, & humanam facultatem ſuperantia periculoſe ſcrutari: inquieta ſcientia turbare orbem Chriſtianum: quæ in ſchola ſecretiora ſunt, palam facere, ut nihil tam ſanctum, tam purum noverit Doctor, quod plebs, & fœminæ inſcitia ſua, & temeritate diſputationis non polluant. Ejuſdem Ge-*

(1) Giges Gallus *Sæcul. Gen. Diſſ.* I. Is eſt Zacharias Lizioviensis, Ordinis Cappuc. S. Franciſci alumnus, qui Sæculo proxime præterito floruit.

*Genii est novitatem antiquitate convestire, ut ad insignia vetustatis major illi cultus adhibeatur, major fides. Veritatem obnubilat idem Genius, lippis oculis parcens; de cætero loquax, & ad fastidium nostræ ætatis infinitos quotidie calamos aptans, quibus* (ni tempus obstet, aut fortius illo incendium) *posteritas non mediocriter cruciabitur.*

XII. Nonne, SANCTISSIME PATER, effatum hocce Vaticinium fuisse dixeris, si respicias qua tempestate in Gallia prolatum est? Si nostris hisce temporibus applicentur, compendium nonne videbitur historicæ veritatis? En ergo ex suis originibus sæculi nostri imago simul, & prototypum, ex cujus tamen lineamentis quisque facile poterit conjicere ad majora opus hoc fuisse excogitatum; nec sine Numine factum arbitror, quod *Sæculi Genius* ex eo tempore appellaretur; sic enim perspicacioribus hominum mentibus ostendebatur, quis esset tantæ molitionis audacissimus author. Ecquinam fuerunt, hujus nomenclaturæ cusores, nisi Dæmones? Ii quippe priores *Geniorum nomen assumpserunt* (1); *sic enim* Lactantio teste, *latino sermone Dæmones interpretantur*; iisdemque propterea familiariter usi dicuntur Socrates, Plotinus, Porphyrius, Lutherus, Jordanus Brunus, Cardanus, Bodinus, Zuinglius, aliique veritatis, pudoris,

(1) Lact. L. II. Divin. Inst. Cap. XVI. Seg. 11.

ris, ac religionis osores. Nec nisi Cacodæmonum artibus, quibus in suæ perditionis solatium nequissimi spiritus perdendis mortalibus operantur, tam atrox, tectumque bellum, iniquo prorsus Marte, adversus pietatem sub ampliandæ, seu reformandæ eruditionis obtentu, poterat excitari, ne hominum mentes insidias suspicarentur, in opere tam præclaro. Ii siquidem quum ex deluborum suorum penetralibus sua vidissent jam toto, qua patet orbe, disjecta, ac pene contrita simulacra, nec homines Græcis fabulis amplius præbere fidem, novum atque sublimius idololatriæ genus excogitarunt, per quod non in signis, manu fictis, se venerarentur homines; sed in ipsis hominum cordibus cultores, Templa, sacrificia, aras, thura, & Sacerdotes sibi paranda curarunt, sub uno omnes *Naturæ* nomine, aut *Numine* sacrilego, infandoque scelere adorandi.

XIII. Magnum sane facinus, præsertim Evangelici jubaris sparsis ubique fulgoribus! fraudibus tamen longe petitis, teterrimisque ignorantiæ tenebris orbe iterum, iterumque bellorum, factionumque strepitu, ac sævitia, occæcato, sensim, pace vix Italis reddita, eisdem persuaserunt, ut inter gentium ruinas vetustissima sapientiæ semina diligentissime perquirerent, & pretiosam germanæ eruditionis supellectilem in terris primi revocarent. Græcia bar-

barbarorum armis ſubacta, iterum Latinis magiſtros, e ſuis finibus extorres, delegat. Plauſu, ac honore excipiuntur: Veſtiuntur, alimenta, domuſque recipiunt, ditantur, Cathedras conſcendunt, diſcipulos nanciſcuntur, & qui peregrini venerant, Patriæ Parentes audiunt, ac cuncta jam moderantur. His authoribus diu inter vetuſtatis rudera noſtri verſati ſunt. Diu anceps eorum mens hæſit Pythagoræ ne, an Platoni Scholarum magiſteria concederent. At huic tandem decreta ſunt, utpote qui Patrum ore jam Eccleſiæ ſervire didicerat, & *Moſen Atticiſſantem* (1) a Nemeſio appellari meruerat. Ariſtotelicæ tamen doctrinæ paullatim, non ſine magnis contentionibus tandem decedere coactus eſt Plato, & Stagiritæ placita, erroribus expurgata, veræ ſapientiæ ſtipendia mereri edocta, principum Academiarum ſubſellia diutius, non ſine majeſtate compleverunt. At ſpe ſua nequiſſimi illi ſpiritus fruſtrati, diem ei, tamquam transfugæ, ac deſertori, implacabili iracundia, ac exquiſitis artibus indixerunt, adhibitiſque conturbatorum hominum conſiliis, eum tandem de gradu, quem obtinuerat dejeciſſe ſibi ſic viſi ſunt, ut vix angulus aliquis nunc ſuperſit, in quo tuto, ac ſine irriſione doctorum virorum, nomen ejus, & placita audiantur. Non ita profecto agreſtes canes



(1) **Apud Clem. Alex. I. & II.** ***Strom.***

intra mœnia ab urbanis excipiuntur, nec tam feroci latratu ſannas, & rictus alii illis oſtendunt, quaſi eos voraturi, ſicuti nunc in Academiis, Licæiſque latinis ſenes, juvenes, adoleſcentes aggrediuntur Peripateticos. Mulieres ipſæ, nuptæ, innuptæque puellæ, ac etiam infantes Ariſtotelis doctrinam damnant, vituperant, execrantur, eamque ut impiam, Atheiſtarum, ingenitæque materiæ patronam, hæreſum ſeminium, errorumque fontem traducunt:

XIV. Si vero pedem, manumque cum aliquo ex antiperipateticis ſecreto conferas, ſerioque cum eo agas; mirabile dictu! is primum Ariſtotelem laudat; fateturque ita mentem illius exponi poſſe, *ut novorum Phyſicorum inventu illi aptiſſime conciliari videantur*: Unde concludit: *Cauſſa certe non eſt, quare Ariſtotelem deſeramus, ſi hoc modo in Phyſicis philoſophemur* (1). Quæ ſi ſatis non forent, ut liber dimittatur, addet: *ſatius eſſe ab Ariſtotelis latere non diſcedere, via ſcilicet illi communi, quam aliorum manuductione, in neſcio quas, Sylvas inconditas, & horrida teſqua dilabi* (2). Alium adeas, & aliquis ſit nominis umbra notus, ac ingenii vi ſupra cæteros caput ſuum extollens, longoque auditorum agmine ſtipatus. Carteſium ipſum aggre-

(1) Morhof. Polyſt. Tom. II. L. 2. Part. 1. Cap. XII. n. 3.
(2) Idem ibidem Tom. II. L. 1. Cap. VIII. n. 7.

aggrediamur. Quid hic de Stagirita? *Velim* inquiet *notari, me heic univerſam rerum materialium naturam ita conatum eſſe explicare, ut nullo plane principio ad hoc uſus ſim, quod non ab Ariſtotele, omnibuſque aliis omnium Sæculorum Philoſophis fuerit admiſſum* (1). Quare ergo tanta in Ariſtotelem abominatio? Qua ratione univerſim adverſus eum ubique conclamatur? Reſpondet ab Anglia Baro inclytus *de Verulamio*, Vice Comes S. Albani, ſummus Angliæ Cancellarius, Franciſcus Baco, qui ſignum veluti ſuſtuliſſe dicitur adverſus Peripateticam diſputandi methodum poſt Theleſium, Patricium, alioſque Stagiritæ oſores: hoc ideo fieri, *quod ſcientiæ naturali minime apta videatur logica Ariſtotelis*. Teſtatur hæc ejus vitæ (2) author, operibus ejus præfixæ: *Illi Philoſophia Ariſtotelica inſipida viſa fuit, non propter vilipendium* AUCTORIS, *quem ſummis ſemper laudibus evehere in more habuit; ſed propter* INEFFICACITATEM *viæ* &c. Novo itaque SCIENTIARUM ORGANO duodeviginti annorum ſudore (3) ab ſe elucubrato, eo ſtudia dirigenda fore ſancivit, *Ut non inveniantur argumenta; ſed artes: nec principiis conſentanea; ſed ipſa principia: nec*



(1) Carteſ. Part. IV. Princip. §. CC. p. 166.

(2) Ut legitur in Oper. ejus Francof. ad Mœnum edit. an. 1665. fol.

(3) Ex Ephem. Gallican. VIII. Martii MDCLXVI.

*rationes probabiles*; *sed definitiones*, *&* *indicationes operum* (1).

XV. Hisce præjactis fundamentis, quid fingendum, aut excogitandum foret, luculenter docuit; quomodo autem inveniendum quid natura ferat, quid faciat, arbitrio permisit humano. Is non ab universalibus, ut scientia debet ad particularium cognitionem rerum perveniendum esse decrevit; sed potius contra nitendum, non aliena quidem authoritate, sed propria duce ratione, quæ non Syllogismorum ambagibus, sed inductione uteretur. Liberis ergo mentibus hoc pacto laxatis omnibus cogitandi habenis, ac plerumque, ut fit, infidis experimentorum successibus, sive exemplis loco inductionum, per inscitiam in disquisitione veritatis, perperam adhibitis, eo ventum est, ut quicquid alicui verum esse, aut bonum videbatur, id sine hæsitatione aliter se habere non posse, prædicatum sit. Quasi verum omne ab humano intellectu; bonum autem a voluntate penderet. Senis interea, sæpe, ut ajunt redivivi (2). *Monades*; delirantium (3) Abderitarum *volitantia simulacra*; ac demum Epicuri *corpuscula*, tamquam rerum omnium principia, statuta sunt, & ju-

(1) Verulam: *in Novo Organo pag.* 4.

(2) Pythagoram intellige, de quo vide Diss. nostram XL, Cap. XVI. §. 1.

(3) Leucippi, Democriti, Protagoræ &c. de quibus ibidem egimus Cap. XVIII. §. IV. seq.

& jucundiſſima, etſi acerba, ſpectacula humanis mentibus præbere cœperunt.

XVI. Inter hæc primum Terræ datus eſt in Theatro locus, ut ipſa oſtenderet, ſe vi ſua nec ſtare, nec unquàm ſuis in orbium centro ponderibus libratam ſtetiſſe; ſed inter Cælornm aſtra locatam, circa immotum ſolem ſuos ſemper confeciſſe gyros, cognatas ſibi undequaque repetendo partes, quas eidem Luna præſertim, aliique Planetæ, piratico propemodum more, in immenſo æthereæ regionis oceano uſurpaverant. Planetæ vero ſuas ſibi portiones vindicaturi, mutuo conflictu hinc tracti, illinc repulſi, alios circumeunt orbes, ac in eaſdem ſemitas vi renitendo coguntur. Si qua in eorundem motibus irregularitas apparet, ex mutuis actionibus oriri non ſolum poſſe, verum etiam veroſimile eſſe ſtatutum eſt, fore *ut longinguitate temporis majores uſque evadant, donec hæc naturæ compages manum emendatricem ſit deſideratura* (1), nec aliunde in terræ viſceribus marina corpora lapideſcentia reperiri, niſi quia jam diu, quæ ejus cardines putabantur, partes ſitu, & loco dimotæ ſunt. Jam Cælum, Tellusque ſimul, plantæ omnes, ac olera non ſolum vivunt, ſed ſentiunt (2), nec tantum



(1) Iſaac Nevvton. Hypoth. Phyſ. p. 410.
(2) Franc. Red. *de Inſect.*

unus, ſed infiniti ſunt mundi (1), vel ſaltem totidem, quot inerrantia ſunt ſydera, quæ non ſolum pediſſequos habent ſetellites, ſed intra ſe alios orbes, Planetas alios, aliam tellurem, aliosque incolas, etſi ignea ſint, continere dicuntur. Fixa, quæ manent, aſtra totidem ſoles putantur, quibus ſingulis ſuæ circumponuntur lunæ, vel terræ nobis incognitæ, nec oculis mortalibus perviæ. In ſolis centro intolerabile ardet incendium, in quo non ſolum lumen omne, quod ubicunque rutilat, accenditur, ſed etiam perditi ſpiritus, ac damnatorum animæ; tamquam igneo carcere plectuntur (2). Provincias in Lunæ circuitu, regioneſque ampliſſimas in tabulis (3), geographicis delineatas, ſibique demandatas ii receperunt, qui in arte aſtronomica clari in aliqua ætate fuerunt, illaſqne pro eorum induſtria de iſtorum nomine jam communi calculo appellant Aſtronomi (4) Eratoſtenem, Platonem, Manilium Ariſtarcum, Copernicum, Galileum, Kepplerum, Tyconium, Gaſſendum, Grimaldum, &c. Nova quædam cæleſtia corpora in vaſtiſſimo aeris, ſeu etheris

(1) Jordan. Brunus, Thom. Campan., N. Fontanelle etiam Italice nuper traduct. ann. 1748. in 12. *Appreſſo Brunet* al Palazzo. Et Chriſtian. Eugenius.

(2) Anonym. Anglus in Act. Erudit Lipſ. an. MDCCXV. p. 107.

(3) Herel. in Selenograph. p. 226. Guil. Gilb. *Philoſp. nova* L. II. ad pag. 173.

(4) Apud Ricciol. in Almag. p. 204. & in obſervat. Florent. Ecclypſ. Lunæ an. MDCCLI. VII. Junii, & 11. Dec.

ris pelago, vel si mavis in immensis atmospheræ vorticibus, nasci posse, quemadmodum & antiqua interire, per materiæ congeriem, atque discidium, quod quibusdam insulis traditum est in mari contigisse, jam demonstratum creditur mathematicis (1). Solem in terram, & hanc in illum vicissim mutari posse, ubi maculæ, quas diurnum Sydus sensim attrahit, prævaluerint, eidemque crustam terream obduxerint, improbabile minime æstimatur; & hoc vel maxime si contingat in telluris conflagratione, quæ superficiem ejus in cinerem redigendo, metalla, in ejusdem viscerisius latentia, liquet, ac ea in splendidum deinde globum rapido motu cogantur (2).

XVII. Si vero de animantibus quærat aliquis, an illas incolant sydereas plagas? Affirmabunt statim constantes homines, quum ibidem ea omnia esse debeant, quæ in terris visuntur, nisi quod temperies, & indoles ab eo sydere eisdem tribuitur, cujus habitant regiones, & plagas. Si scire cupiat distent ne homines a brutis, vix id, ac ne vix quidem dignoscere poterit, nisi scenæ moderator ostendat, quæ pura sint authomata, quæ autem mente dirigantnr; sive hæc sit membris illigata, sive extrinsecus assistens, & forte in aliquibus informans; aut dispertita singula sin-



(1) Morhof. Polyst. Tom. II. part. II. Cap. v. n. 2.
(2) Ibid. n. 3.

gulis, aut una, & eadem, quæ omnia simul regat, dirigat, atque constituat. Quod si ulterius instet: Brutis quibusdam datum audiet liberum arbitrium, (1) quædam cultu religioso numen adorare (2), immo spe æterni præmii minime destitui (3); Nisi tamen ex iis sint, quę a Diabolo informari dicuntur (4). Motui jam æternæ sunt leges Immutabiles, & duplici materiæ semel impresso, in gyros, vorticesque suos illæ longo circuitu agitatæ, in hanc tandem, quam cernimus pulcherrimam molem, rerumque ordinatissimam fabricam confluxerunt. Jam movens, & motum unum, & idem esse potest, si modi tamen, quo agunt, & reagunt intelligatur. Nulla amplius finalis caussa reperitur, formalis nulla, & nescio an agens aliqua a materiali diversa relicta sit. Quod a ratione humana capi, atque intelligi clare, & distincte non potest, in hocce theatro commentum est, ac nondum Naturæ viribus satis heic exploratis, parum refert si aliqua repugnare videantur. De Animæ rationalis natura, sede, officiis; de sensuum organis; de corporum structura; de membrorum usu; multa & varia, & quidem mirabilia dicuntur, quæ quamquam mechanice exposi-

(1) Rab. Maimon. in Lib. *More* Nevochim Cap. XVII. L. II. pag. 1.

(2) Senocrat. apud Clem. Alex. L. V. Strom. Plin. L. VII. Cap I. ab anonym. laudati.

(3) Jo: Crellius Socinianus *Lib.* II. *Cap.* I. *Ethices Christianæ*.

(4) Bougeant *Amusament Philosoph. sur le Langage des Beates*.

posita, nemo hactenus explanavit quomodo simul cohærere queant, & agitari, ac dirigi a spiritu possint: cvaendum tamen, ne aliquid ultra Moderatorum effata quis exquirens, objurgationibus, atque cachinnis externatus, vel corpus inter & animam nullum interesse putet commercium, vel armoniam quandam præstabilitam deprehendat, vel tandem de se ipso, an vere spiritu, & materia constet, an aliquid re ipsa sit, dubitare, ac vereri incipiat: quamquam id ne contingat sæpe illud Monitor alta voce intonat. *Cogitas? Ergo existis*. Volandi artem (1), denegatæ sibi facultatis loco, jam homines didicerunt, & ubi Icarus liquatis pennis in aquas cecidisse inter fabulas olim ferebatur, Ulyssippone paucis ab hinc annis novo cuidam aëreæ navis artifici, id contigisse, & coram rege ipso in præceps ruisse, oculatus, & verax testis, me audiente, narravit. Quid mirabilius? Sub oceani aquis (2) ignoti viri, adjunctis sibi quibusdam navigiis, discurrere visi sunt, qui forte legati erant ad hodiernos naturalium rerum scrutatores a populis, illius australis terræ incognitæ incolis, de quibus Anonymus (3) quidam ægit, ut commercia cum his, & fœdera inirent; sed quum contra jus Gentium

(1) Roger. Baco *Epist. de Secret. Art. & Nat.* Collect. Philos. Anglic. *N.* 1. *Obs.* IV. Pegel. *in Thesau. Rerum Select. Part. III.*
(2) Tellialmed Journè VI.
(3) *Historia Severambum.*

tium vim ſibi inferri animadvertiſſent, ex ſexaginta, aut octoginta, vix uno capto, qui poſt centum dies mortuus eſt, cæteri, diſparuerunt, non ſine Reipnblicæ Philoſophorum ineffabili damno, ac dolore; a quo tandem temperandum fuit; ſiquidem ſummo, quo eorum plurimi pollent ingenio, illud inde erui poſſe creditur, quod homines, non e fortuito atomorum concurſu nati ſint primum in terris, ut falſo putaverat Epicurus: non ex limo poſt Nili inundationem relicto, ut retulit Diodorus (1); ſed ex ipſis marinis aquis, ſicuti Thales (2) Mileſius docuerat, cum cæteris omnibus rebus emerſerint, ac proinde cum Homero [3] dicendum.

... *Oceanus, qui omnibus origo eſt*.

Quamquam & fieri poſſit (4), ut arte etiam ſine concubitu, imo ſola imaginatione concipiantur (5).

XVIII. Comœdiam ſane, (6) ingenioſo jocandi genere refertam, ſi meris quibuſdam hypotheſibus acta eſſet res, qui haſce opiniones invexerunt, excogitaſſe, videri fortaſſe poterant, ut ingenia exercerent; ſed quæ

(1) Diod. Sicul. Rer. Antiq. L. I. Cap. II.
(2) Laert. L. I. Seg. 27. Plut. de Plac. Ph. L. I. Cap. III.
(3) Iliad. Ξ verſ. 246.
(4) Paracelſ. *in Paramiro*.
(5) Anym. *Lucina ſine Concubitu*.
(6) Apud Rapin. *Refel. ſur le Phil.* 6. XXII. *Tom. II. p.* 353. *Collect: Philoſ. Angl.* N. 1. *Obſ. VI.* Pegel. *in Theſ. rerum Select, Part. III.*

quæ secuta sunt, veritatis, disciplinæ, scientiarum, morumque dispendia, sero incautos monuere, in tragædiam paullatim fabulam mutatam esse. Philosophos quidem tragædiis interdum uti, & sane maxime solere, dixerat Tullius (1), sed eos in illis actores esse, nullus, quod sciam, dixerat, donec talia ex Philosophiæ hodiernæ prosceniis in pulpitum, & orchestram mostra prodire visa sunt, ut plumbeus, aut ferreus esse necesse sit, qui totis artubus non contremiscat, & palpitet. Non enim inter dialecticæ, aut physicæ limites luxuriantia hominum ingenia, *Sæculi Genio* instigante, sese cohibere passa sunt, sed tamquam in orbem circumacta, eo demum compulsa suismet conatibus pervenere, ut nullo possent amplius justo, prudentique aliorum moderamine coërceri. Siquidem ad rem Horatius (2).

*Nil mortalibus arduum est:*
*Cælum ipsum petimus stultitia.*

Ambitione scilicet intime urgente, ac externe æmulationibus, ceu calcaribus, acri stimulo assidue pressa, ut a vulgo sapientum in studio eruditionis secernerentur, Metaphysicæ, Ethicæ, Politicæ, Juris prudentiæ, ac Theologiæ fines prætergressa, ad nominis sui famam propagandam, non metalla tantum, aut saxa,

(1) Cic. de Orat. L. 1. 109.
(2) Hor. Carm. L. 1. Od. III. vers. 38.

ſaxa, portentoſis figuris, ac ſemideletis characteribus inſignita in ſubſidium adinventionum ſuarum exquiſierunt, ſed antiquis, cujuſcumque generis diſcuſſis Codicibus, ſive vera, ſive falſa, ſive bona, ſive prava erant, quæ in illis continebantur, commentariis exquiſitis, aut ſeparatim ſub excerptorum titulis, vel junctim cum iiſdem operibus in vulgus ſpargi curarunt, nullumque antiquorum Scriptorum genus, nullum cujuſcumque ætatis ſyſtema, quantumvis falſum, erroribus ſcatens, ac peſſimis conſecutionibus obnoxium, ſine grandi acceſſione, ſuis brevi caruit aſſertoribus, atque vindicibus.

XIX. Hinc vana, obſoleta, damnata, exitialia, impia, & nuſquam toleranda quorundam perditorum hominum, jam ſepulta opuſcula, clam ſunt typis edita, & curioſis, interdum mutata fronte, innovatiſque titulis, propinata fuerunt, tanto hominum ſcandalo, ut etiam inter Heterodoxos, vir librorum notitia clariſſimus, Sæculo proxime præterito ad finem vergente, miratus ſcripſerit [1]. *Nunc libri æque mali, pene dixerim pejores, impune in publica luce comparent, & ab omnibus leguntur*. Hinc nova in dies ſyſtemata, literaria, non raro ficta, ſæpe vera jurgia, & frequenter ſtudioſe procura-

(1) Morhof. Polyſt. L. I. Cap. VIII. n. 15. Is mortuus eſt a.d. III. Kal. Sep. anno æræ com. MDCXCI. antequam hoſce libros perficeret.

curata Scriptorum dissidia: partium studia: sub refellendi, aut narrandi, immo & referendi librorum editorum excerpta, errorum, ac fraudum perniciosissima disseminatio; adversariorum irrisio, & contumeliæ: Critices intemperantis Canones: Magisterii arbitraria arrogantia: librornm temerariæ, ac mendaces censuræ; Scriptorum quorumcumque, etiam damnatorum, apologiæ: Reipublicæ eruditorum delineatio, leges, abusus: legendi, disserendi, scribendi, pruritus, libido, cacoethes, orbem undique invaserunt; ac juvenum fervidis præsertim animis occupatis, improvideque subactis, sensim eos a pietatis ad novitatis studia jucunda pellexerunt. Ii, ceu lento veneno correpti, veræ sapientiæ fontibus posthabitis, relictisque ducibus, tota antiquitate probatis, qui stupenda volumina conscripserunt, circa quæ adhuc frustra laborant subtiles isti atomorum scrutatores, ad virtutis exercitia primum frigidi facti sunt: mox fidei lumina fastidire cæperunt: non multo post Christiani nutantes, demum ita ambigui evaserunt, ut non solum alii, sed ne ipsi quidem sciant quid vere profiteantur; nam vertigine quadam intellectus, ex frequenti diversarum opinionum varietate conturbati, veluti in instabili arena, pedem nullibi figere tuto posse sibi persuadent, & quod magis dolendum est, inter

inter eos se recenseri malunt, quorum nesciunt instituta, sæpe societatem eruditorum se colere jactant, quam re vera ignorat esse aut combibonum festivam conversationem, aut Nebulonum nefandam societatem.

XX. Quemadmodum ergo olim in Græcia Philosophorum omnium sectæ eo post longam contentionem devenerunt (1), ut aliqui, & quidem pauci, se complura scire, certoque cognoscere existimarent; alii obstinate negarent quicquam ab aliquo sciri, ac comprehendi posse; quidam tandem de hoc ipso dubitarent, aliquid ne vere scirent, an scire posse aliquando quivissent; sic nostris hisce temporibus Philosciis contigit & quamquam Divina oracula ea illos tutissime docent, quæ humanæ mentis captum longe superant, & omnium ethnicorum, hæreticorumque errorum tenebras dissipant, atque dispellunt; non tamen hæc sua authoritate, falli nescia, obtinuerunt, ut illorum impetus, & audaciæ, liberis philosophandi modis assuetæ, intra præscriptos limites versarentur; nam quæcumque suis placitis inde afferuntur contraria, declinant si possunt: si nequeunt, detorquent, violant, mutilant, interpolant, labefactant. oppugnant, reiciunt; aut saltem, revelatione seposita; Naturæ lumine, & rationis ductum unice sequendum in rebus humanis, ac natu-tali-

(1) Sexti Empirici *Pyrrhon. Hypot.* L. I. Cap. I.

ralibus, arbitrantur: Et quasi hoc parum fuisset, idem faciendum esse censent quum de religione eligenda anceps aliquis hæret, postposita majorum quorumcumque authoritate. (1) Ipsi interea authoritate Lactantii nostri abutuntur, qui Ethnicos alloquens, monebat, male se majorum præsidio sua sacra tueri, quum illorum authoritas tanti non esset habenda, ut posteri eorundem decretis devotissime servirent. *Quare oportet*(2), ait, *in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur sibi quemque confidere, suoque judicio, ac propriis sensibus niti ad investigandam, & perpendendum veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tamquam ipsum rationis expertem*. Quæ si bene, ut par erat, intellexissent, error in eorum mentibus, pessime subortus, facile potuisset radicitus evelli. Siquidem tam hi, quam illi, & si dispari ratione, pari tamen aberrant, duplici præsertim fallaci principio decepti: quorum 1. est, eos putandos censere majores nostros, qui non solum tales non sunt; sed potius a majoribus nostris turpi apostasia discesserunt. Secundum vero illud est quod ratione uti arbitrantur quum maxime eadem in inquirenda veritate abutuntur. Veritas illa, *in qua vitæ nostræ ratio versatur*, æterna est, variari non potest; sicuti

(1) Traitè de la Raison Hum. Præf. *B*. 5. nota C A Francf. sur le Meya MDCCXLIV.

(2) L. II. Divin, Inst. Cap. VIII. Al. VII. Seg. 1.

ſicuti Deus, qui illius fons eſt, & origo. Qui bene, ut oportet rationis illius participatione utitur, ab eo illam excipere ſe debere noſcet, quum experientia doceat, & Deus ipſe dicat (1), *omnem hominem mendacem eſſe*. Quiſquis ergo ratione utatur; ſibi confidat, ſuo judicio, ac propriis ſenſibus ad inveſtigandam, & perpendendam veritatem nitatur; at quum his omnibus noverit, ſe eam ſuis viribus non poſſe conſequi, non ſinat alienis errotibus decipi, tamquam ſi eſſet rationis expers; & luminum Datorem ſupplex oret, expendatque ſerio motiva credibilitatis, quæ unaquaque ſecta ſuis dictatis præſefert, & niſi mentis oculos amiſerit, aut pertinaci protervia clauſerit, veritatem ipſam, de qua Lactantius loquitur, ſibi occurrentem ſummo Dei beneficio poterit, ſi velit, amplecti.

XXI. Sed iis, aliiſque ſimilibns prave ad ſua ſenſa detortis, atque depravatæ naturæ dictamine ducti, falſiſque principiis innixi, nullam actionem altera honeſtiorem eſſe, niſi ex hominum opinione, putant. Opiniones vero non voluntarie ſuſceptas; ſed pro climatum, educationis, temperieique varietate diverſas ſemper neceſſario fore, ac propterea excuſandos homines quum longo regionum, ac temporum intervallo diviſi, diſcrepantia amplectuntur ſapientiæ dictata cum circa ea,

quæ

(1) Pſal. CXV. verſ. 11.

quæ humanam ſpectant eruditionem, tum circa illa, quæ ad cultum ſummi numinis referuntur. Audaciores alii hiſce rationibus minime contenti, omnes omnino religiones hominum induſtria inductas eſſe, prædicant; licet aliquis doceat, quod ex arbitrio Principis, quiſque ſuſcipere teneatur eam, quam ille præ cæteris retinendam judicaverit. Mores Regum in leges tranſire ſubditorum, volunt, quorum etiam manifeſta ſcelera, quum populo ſibi devoto, regnoque, a ſe adminiſtrato, proſunt, inter prudentiæ, ac juſtitiæ facinora recenſenda eſſe, contendunt. Plerique vero adeo depravatam mentem habent, ut apud eos impietas in fortitudinem, libertas in neceſſitatem, cultus in ſuperſtitionem, virtutes in conſuetudinem, revelatio in commentum, amor proprius in ſocialem, jus in tyrannidem, Deus in Naturam, Chriſtus in omnia, horribili prorſus metamorphoſi jam commutatos eſſe, non falſo rumore dicantur.

XXII. Ne autem & ego delirare, ſeu fabulas nectere ſtultiſſime, videar, Benedicti de Spinoza, Thomæ Hobbeſii, Johannis Tolandi [1], *atheorum, quos noſtra ætas tulit, facile impudentiſſimi*, ejuſdemque conterranei, etſi non diſcipuli, ſaltem familiariſſimi (2), Antonii Collini libros, hujuſmodi errorum far-

c

(1) Apud Budd. Theſ. de Atheiſmo: &c.

(2) Confer Epiſt. Collini ad Toland. *Adeiſidæmonis* libro præfixam.

farragine refertos, in teſtimonium tantæ impietatis, ex libertate cogitandi, & ex prava philoſophandi methodo ſubortæ, profero, ac in medium, aliis, vel quia nondum noti ſunt, vel quia etſi noti, eos nominare non refert, ſilentio poſthabitis, adduco: TEQUE oro, PATER BEATISSIME, ut in eos, quibus intima theatri facies deturpatur carminibus, oculos parumper convertas. Turpitudo enim ne tam horrendæ tragicomædiæ ſpectatores ſtatim a ſe repelleret, ſi tota ſimul ſine aliquo velamine ſeſe illis præbuiſſet adſpiciendam, ſic ibidem cubitalibus litteris legitur

*At vel Turca ſiet, vel ſit Judæus apella;*
*Qui bene vivet, erit Chriſticola ille mihi* (1).

Nec ſatis; nam intimius mens improba Pantheiſtruam, ſeu potius Pantomimorum ſic luculenter alio loco propalata eſt (2):

*In Chriſto pretium eſt. Eſt omnis, & omnia Chriſtus,*
*Et qui ſunt Chriſti, quo tandem nomine dicti:*
*Seu ſint Romani, ſeu ſint de gente Lutheri,*
*Sive Reformati, ſeu ritibus Arminiani;*
*Vel Memnone ſati, aut alio ſub ſydere Gentes.* Hi

(1) Fauſtkig. de Metæolog. Fanat. Colleg. Tripolit. §. XXX. p. 125.
(2) Peterſen. in Panegyr. Fabriciano.

*Hi sunt conjuncti fratres, conjunctaque membra;*
*Et consanguinei ex carne, & ossibus iidem.*

Oh quam impia! oh quam multi, & nefandi errores in hisce versibus latent, his fortasse pejores, qui palam apparent? Oh quam pessime in eis sacrosanctum Christi nomen usurpatur! Sed ut qui decipi cæperant, ulterius deciperentur, ac ut societas tam discrepantium membrorum aliquo umbratili fœdere colligata videretur, naturam, quæ in uno quoque individuo est, Dei, & Christi nomine insignire oportuit, & nova hac apotheosi donare, & in unam, eandemque substantiam, diversis dumtaxat modis se habentem, omnia complectendo conglobare, ut sic Creator, Reparatorque humani generis, una cum Creaturis, etiam sua sponte nequissimis, ac æternum infallibili, æquissimoque judicio damnatis, uno cultu, unaque religione adorarentur, parique obsequio Numen, Sacerdos, sons, Insons, lictor, homicidia, & carnifex, mactari possent; concessa omnibus, etsi perditis (1) spiritibus, hominibusque de sua perenni felicitate, tandem aliquando adipiscenda, inani prorsus, ac temeraria, immo desperata jam confidentia, Origenis Adamatii authoritate suffulta; illudque facinus completum est, quod te-



(1) Traitè de la Rais. Hum. pag. 27.

teterrimi hominum, Deique hostes excogitaverant, & quod XVI. ineunte sæculo jam delineaverat infamis ille *Naturalistarum* (1) *Præco*, qui Tolosæ tandem, horrenda, ultricibus flammis traditus, morte, diem obiit, quem non vidisse meruerat, ne indignum illum libris suis titulum cuderet, in quo *Naturæ* non *Reginæ* tantum; sed *Deæ* quoque nomen sacrilegus tribuere non erubuit.

XXIII. Quid ergo mirum si pessimorum horum dogmatum peste labefactata hominum ingenia nullius authoritati, aut consilio se amplius obnoxia esse velle profitentur, suoque malunt judicio abuti? Consentanea prorsus est suis ista hæc consecutio principiis, quibus propterea intrepide inhærendo, non legum reverentia, non conscientiæ objugationibus, non famæ periculis, non suppliciorum timore cohibita, liberæ Naturæ juribus sibi unice parendum, obsequendumque arbitrantur, ac cum iis, quibuscum ubicumque agere contigerit, externis moribus, congruenter compositis, inter *viros fortes* recenseri, tamquam Heroes, meruisse, stultissime sibi persuadent, alios omnes, qui diversimode vivunt, uti fatuos, dementes, ac ridiculos despiciendo, quo-

(1) Julium Cæsarem Vanninum intellige qui Lutetiæ an. MDCXVI. librum edidit sub titulo - *De Admirandis* NATURÆ REGINÆ, DEÆQUE *Mortalium arcanis*. Combustus judicium sententia Tolosæ obiit an. MDCXIX. de quo Joh. Maurit. Schramm tractatum singularem edidit Crustini MDCCIX. 4.

quoniam illis ignotum esse authumant *Genium Sæculi* & arcanæ sapientiæ *gustum*, quem sibi solummodo manifestum, incredibili fatuitate, ac intollerabili prorsus audacia præsumunt. Idcirco scite satis de iis quidam Author scribens, suæ dissertationis titulum esse voluit (1).

*Virorum fortium nova species, quibus pro fortitudine impietas.*

XXIV. Re vera tamen, ut etiam de eorundem origine aliquid tradam, unde pudeat, hominem Christianum cum eis facere, *novata* potius, quam *nova* dici debuit *hæc fortium virorum* impia progenies. Sæculo enim Ecclesiæ secundo Cainanorum hæresis (2) caput ab Orco extulit, docens, non solum *Core*, *Dathan*, & *Abiron*, immo, & serpentem illum tartareum, qui Evam in Paradiso deliciarum decepit; verum etiam execrabilem Divini Magistri proditorem Judam, & impium fratricidam Cainum, quem *fortissime* (3) *virtutis* virum prædicabat, & merito hodiernorum *Spirituum fortium Antesignanum* appellandum, divino honore dignos esse, asserebat. Hinc tam illi (4), quam ii, qui *Complanatores* audiunt (5) suis cantilenis, quas in Epu-



(1) Pettus Firmian. Sæc. Gen. Diss. VI.

(2) *Cajanos* Eos appellat S. Epiph. L. III. Hær. XXXVII. Ubi de his multa.

(3) S. August. Lib. de Hæres. Cap. XVIII.

(4) San. Epiph. ubi supra.

(5) Chans. des Serveillans par le Frere de la Tierce. Hist. & Oblig. des Fr. Mac. edit. MDCCXLII. Francf. ad Meyn.

lis cantitare ſolent, eum non quidem inventorem, ſed profeſſorem primum ſuæ ſectæ celebrare dicuntur. Inventio enim Protoparenti Adamo tribuitur a nonnullis; quamquam ab aliis, etiamnum cum Præadamitis blaterantibus, eo antiquiorem ex Caldæorum, Ægiptiorum, ac Sinenſium annalibus ſapientiæ ſuę arcana originem habuiſſe, impudentiſſime, ac integra fronte aſſeratur (1). Illam, nimirum ſapientiam, quam Cælo, ut ajunt, delapſam, Hermes Triſmegiſtus, Orpheus, Zoroaſter, ac demum Pythagoras reperiſſe crepant (2); quibus etſi Hebræorum Rabbini diu, multumque repugnarunt, tandem provocati, neſcio an edocti, ſocias quodammodo dedere manus (3), & improbo ſtudio, ne ætate, aut doctrina Deorum cultoribus inferiores viderentur, æternum veræ ſapientiæ depoſitum in Kabbalam, innumeris pene fabulis confarcinatam, ſacrilego auſu commutarunt, initoque fœdere cum illis, ut decipiendis hominibus fraus magis eſſet idonea, ſanctiſſimos Patriarchas, Noemum, Abraamum, & Moyſen non ſolum, ſed Judæorum ſapientiſſimos, Salomonem,

(1) De l'Orig. des Franc. Mac. & de leur. Doctrin. pag. 2. Amſterd. MDCCXLVII.

(2) De Præ Adamitis ex Zabiorum ſententia vide Hotting. *Hiſt. Orient.* p. 187.

(3) R. Maimon. in *Epiſt. adverſ. Aſtrol.* Judic. Libri cultus *Hanbatiih*, qui commemorant nomina *Jamboſchar*, *Zagrith*, & *Roani*: quos dicunt ante Adamum natos, & *Jamboſcar*, ſeu *Samboſcer* Adami præceptorem appellant, Judæorum, Arabumque nonnulli apud Fabric. *Cod. Pſeudep.* C. III.

nem, & Esdram in Protosophorum albo permixte recensuerunt.

XXV. Nec Christo per Apostolos, orbis universi gentibus jam prædicato, ac vitæ sanctimonia, miraculorumque, ac doctrinæ fama longe clarissimo, inter tantæ sapientiæ Magistros sedes erat deneganda: ut qui ejus sacris initiati fuerant, iniquæ societati nomen dare non erubescerent; sed quamquam diu in hocce pulvere frustra aliqui desudassent, Valentinus tandem Ægiptius (1) extitit, qui inter *Aeones* a Nicolaitis (2) quodammodo acceptos, eum constituit, ut ipsius officium esset cæteros omnes docendi *Aeones*, qui opera ejus ad *æquitatem naturalem* formati, summaque lætitia perfusi, optimam singuli (3), florentissimamque sui partem contulere, unde *Jesus* prodiit, quem omnium *Aeonum* complexum nomina, Valentiniani postmodum dixerunt: In Ogdoadis ultima Syzygia *homo*, *& Ecclesia* tenuerunt; ita tamen, ut hæc esset Messiæ regnum, quod etiam in singulis hominibus existeret (4). Hæc & alia sexcenta id generis depravatæ mentis insulsissima paradoxa, ad fabularis Hesiodi Theogoniæ [5] imitationem, seu etiam ex tunc temporis jam de-



(1) Apud S. Eph. *Hær:* XXXI. §. II.
(2) Apud eund. *Hær.* XXV.
(3) Apud S. Iren. L. II. *Cap.* XIX., & S. Epiph. *Hær.* XXXI.
(4) Apud Jo: Franc. Budd. *Diss. de* Hær. Valent. §. xv. p. 631.
(5) Apud S. Epiph., & Iren. ubi supra.

depravata, ac corrupta Judæorum Kabbala (1) male compacta, rudi, ignorantique popello homo delirus, tamquam occultissima mysteria, adoranda potius, quam perscrutanda inauditis vocabulis tradidit, discipulisque suis amplianda reliquit. Sic autem ex Ethnicorum fabulis, ex Judæorum corruptis libris, atque ex Hæreticorum mendaciis tota tandem Tragicomædia confecta est, quam mutatis modo cothurnis in scenam iterum revocare gestiunt hodierni *Philosofii* postquam jamdudum ex universi theatro expulsa fuerat, atque explosa tam enormis errorum coagmentatio, cujus vestigia passim apparent in quibusdam libellis, vernacula variarum regionum, speciosa fronte conscriptis, ac ex proprio in alienum sermonem, ementito non semel versionis, ac authoris nomine, traductis. In quibus profecto id mirabile primo apparet intuitu, quod raro de religiosis dogmatibus agere videri volunt, quamquam exquisita arte, ac verborum lenocinio ea, quæ libertati obsunt, impugnent, quæ vero prosunt mirifice extollant; & tametsi invicem minime cohærere in principiis appareant, quum alia sint sectis quibusdam dumtaxat propria, alia pluribus communia, quædam vero Magistris solummodo peculiaria, singula tamen tanta sunt ambiguitate expressa, ut sensa facile detorqueantur. Quum

(1) Budd. ubi supra.

Quum coram TE Hostem deprehenderis, aggrediarisque, Religioni infensissimum; terga vertit, & fugam simulat; aut commilitonem nostrum, esse sacramento interposito se ostendit. Atheum tenere præ manibus quidam nostrorum aliquando putabat; at ejus jugulum premens, Deistam eundem esse cognovit, & quum urgere vellet, neutrum se ille umquam fuisse, clamabat, & quicquid mallet, se professurum alta voce pollicebatur (1); Sæculi enim probante Genio controversias omnes de religione devitare student, in quas quum incidunt, arma, & Clypeos mutant (2).

. . . . *Dolus, an virtus! quis in hoste requirat?*

Non enim sic agendo pro desertoribus habentur a sociis, quum quilibet illud sæpe repetat

(3) *Tros, Tyriusque mihi nullo discrimine agatur.*

Ut in quibusdam Epistolis, ad ignotos datis, pro titulo uti dicuntur. Iccirco eorundem arbitrio omnis inter eos nunc latet, nunc patet necessitudo; quamquam singuli ad unam libertatis sentiendi potestatem ampliandam conspirent. Illorum fluviorum ad instar, quorum fontes, tametsi a nobis distare videantur, diversosque alveos eorundem aquis implere, per secretos tamen intimæ terræ meatus, longo fœdere socia-

(1) Defense de l' *Esprit. des Loix pag.* 1.
(2) Aen. II. vers. 389.
(3) Ibid. I. vers. 538.

ciatis viribus, agros deinde, & segetes, quum tumentes erumpunt, immaniter vastant depopulantur, evertunt, violatis omnibus, pessumdatisque repagulis.

XXVI. Pythagoricæ (1) taciturnitatis speciem quandam imitantur, ac jure quoque jurando obstringuntur, ne alicui, qui ex *Adeptorum* numero non est, quicquam in societate dictorum, factorumve pandere fas sit; data tamen facultate utendi quibusdam ambiguis, sed statutis ex condicto (2) signis ut colloqui, cognoscique mutuo possint, etiam coram exoticis, si forte adessent; tamque apud eos inviolabilis est hujusce silentii canon, ut cuilibet licere potius arbitrentur mentiri, ac pejerare, quam secretum prodere, juxta illud antiquorum sceleratorum hominum effatum, ab Augustino memoratum.

*Jura, perjura: Secretum prodere noli* [3]. Non me latet, hæc apud quosdam solummodo eorum excogitata aliquando fuisse; & potius ad fucum faciendum, quampluribus vulgata; sed nonne a fatuis nonnullis juvenibus postmodum, variis de more insignibus affectata fuere, ac veluti decoris stemmata ostensa? Quid turpius, quid iniquius? Duci, tamquam pecudes, immundasque sues, obsignatas charactere perditi Genii, ignorantes morem

(1) Menag. ad Laert. L. VIII: Seg. 10.
(2) De l' Orig. des Franc. Maæ. pag. 19. 42., & alib.
(3) S. August. de Hær. C. LXX., & Retr. Cap. LXX.

em hunc primum inductum esse a tam nefariis hominibus, quos imitari, etiam per jocum, turpe, ac infamiæ signum sibi imponere, manifestum est. Sic quippe olim Hæretici illi iniquissimi, quos *Gnosticos* appellabant, nefandos cætus convocare, suosque insignire asseclas Irenæo (1), ac Epiphanio testibus, consueverunt. His præluserunt Simon Magus, Basilides, & Carpocrates Alexandrini, Cerinthus Ægiptius, Cerdon Syrus, Marcion Synopontinus, & omnium, qui ante eum fuerunt, Hæreticorum vere, pantomimus scelestissimus Ebion, de quo Epiphanius ait: (2) *Quicquid horrendum est, ac perniciosum, & abominabile, infameque ac incredibile, & odio plenum, id a singulis sectis accepit, & se ipsum in omnes efformavit*. Hodierni vero, quibus *Gnosticorum* infame nomen a sapientia, quam jactant, non male congruit, prologos & ipsi quamplurimos habuere, quos si omnes recensere vellem, onus fastidii plenum assumere, atque satis amplam bibliothecam, per classes artium distributam, perscribere mihi necesse foret. Illud propterea memorasse sufficiat, miratum esse universum Terrarum Orbem, se iterum inconditis clamoribus, ubique sparsis, perturbari, quum hinc ex

(1) S. Iren. L. 1. adv. Hær. Cap. xxiv. fin. S. Epiph. Hær. xxvi.
(2) S. Epiph. Hær. xxx.

ex Hæreticorum latibulis, inde ex Ethnicorum ſcholis, ac depravatis Rabbinorum Synagogis, non ut olim poſt multas olympiadas, ſed fere iiſdem temporibus, plurimæ identidem ſectæ, quodammodo reviviſcentes, mutuis ſeſe conatibus provocare vidiſſet. Jam hocce ineunte Sæculo Epicurei palmam omnibus ſe præripuiſſe gloriabantur; Scepticis tamen, Syncreticis, Eclecticis, Theophiſtis, Incredulorumque turba litem eis moventibus, quum nullo pacto inter ſe conciliari poſſe animadvertiſſent Politici, quibus curæ fuerat illos aliquando fovere, atque extimulare, *cogitandi libertatem*, *æqualitatem*, *atque independentiam* ſingulis indulſerunt, ſine ſacrorum, quæ colunt, diſcrimine: Rethorii ſub inducta *Adiaphoria*, qua ſtatutum eſt (1). *Omnes, etiam Hæreticos recte ambulare, ac vera dicere*: hoc nimirum argumentationis genere: (2) *quocumque motivo ducantur homines, ad operandum juxta quamcumque legem; omnia tamen rationi, naturæ humanæ inſitæ, ita ſubjici neceſſe eſt, ut quæ eidem probantur, bona ſint, quæ minime, prava ſint judicanda. Quum ergo Sectæ omnes Sacrorum, quæ colunt rationem reddant, & quædam afferant, quæ ſupra nos ſunt, jam ſine diſcrimine tutiſſime ope-*

(1) S. Auguſt. *Hær.* LXXII., Et Anony. *de l' Orig. des Franc Mac p.* 8.

(2) Anonym. *Traitè de la Raiſ. hum. p.* 75. *edit.* MDCCXLIV.

*operantur, qui, pro ſuo quiſque captu, eam ingreditur, quam ratam, probatamque judicat, quum ſinguli vera credere, ac ſincera tradere arbitrentur earundem conditores.*

XXVII. Eſt ne locus alius, quo extrema impietas inſcitiæ, ac temeritatis præſidio ſuffulta, ſedem impleat iniquiorem, ac nocentiora pradoxa dictare audeat? Eam quippe aggredi ſua in arce volumus, ejuſque extremas vires experiri conamur. Quod ut quam expeditiſſime præſtare poſſimus explorata principia ponimus, ut quæ rite inde deducuntur, firma, ac incoſſuſſa æqui, bonique judices decernant, iccirco ab iis, qui hæc afferunt, ut dicant poſcimus, num ſanam inter, & depravatam per originis peccatum humanam naturam diſcrimen aliquod, ignorent, aut credere recuſent? Num aſſiduam in ſe carnis cum ſpiritu luctam ſentiant, an non? Num ſenſus, & ratio in ſuo tandem animo, diſcrepantia omni compoſita, ad propria redierint officia? Nam ſi ſciant, aut credant, aut ſentiant; jam rationi, naturæ inſitæ, ſui tutelam fidere nemo poterit, quin timeat ne ab ea vel decepta decipiatur, vel fallatur ab ignara, vel ab effræni abripiatur. Innumera ſiquidem ſunt, quæ humanis animis inſidias parant, ac a veritatis ſemita detorquent, antequam eas vitare queant, ut Ethnicos etiam philoſophos noviſſe videmus:

*Sen-*

(1) *Sensus nostros, INQUIT TULLIUS, non parens, non nutrix, non magister, non poëta, non scena, depravat, non multitudinis consensus abducit a vero. Animis omnes tenduntur insidiæ vel ab iis, qui teneros, & rudes quum acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, cujus blanditiis corrumpi, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernimus satis.* Si vero hæc omnia nec umquam noverunt, nec credunt, videant oro, atque obtestor, quid humana ratio, sibi soli relicta, hactenus præstiterit in iis omnibus, qui ab ea duci se passi sunt; nec plebem requirant, aut homines, singulos, vitiis, errore, seu ignorantia labefactatos; sed scholarum Ethnicarum conditores, qui etiamnum sapientissimi audiunt: humanos legislatores conferant, quibus prudentiæ fontes aliis aperire datum est, & quum omnia, ab iis tradita apprime, ac intime expenderit, ingenue fateantur, num ii omnes rationem reddiderint eorum, quæ posteris tradiderunt? Si negant! jam non est, quo nunc clypeo suam tueantur opinionem, quum insipientis sit, id sibi præstandum polliceri, quod sapientissimi, ac pruden-

(1) Cicer. L. 1. de legib. p. m. 1245.

dentissimi mortalium minime aliquando præstiterunt. Si autem affirment: profecto negare non poterunt, legum, Sectarum, atque religionum earundem maxime disparem semper fuisse rationem, quum multiplex ubique semper in orbe extiterit lex, mos, cultus, consuetudo populorum, quæ quidem talia esse, ac inter se opposita dignoscuntur, ut id quod probatur ab aliquibus, improbetur ab aliis, & quod apud nonnullos præmiis, ac laudibus donatur, apud quamplurimos, vituperationibus, ac suppliciis plectatur. Hæc ut bona, ac vera demonstrentur, ratio aliqua nunc reddenda est tam ampla, tamque generalis, quæ non solum contraria, verum etiam contradictoria complectatur, atque invicem repugnantia amico fœdere conciliet. Hanc qui invenerit non solum mihi erit magnus Apollo, sed rerum etiam impossibilium supra quodcumque Numen eum appellabo Maximum repertorem. Sed *stultissimum* esse, idem asseruit Tullius (1), *existimare omnia justa esse, quæ scita sint populorum institutis, aut legibus.... Quod si populorum jussis, si Principum decretis, si sententiis judicium jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Quæ si tanta*

(1) Cic. ubi supra p. 1244. seq.

*ta potentia est stultorum sententiis, atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt, ut quæ mala, perniciosaque sunt, habeantur pro bonis, ac salutantibus? Aut cur, quum lex jus ex injustitia facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo?*

XXVIII. Utinam integra, ſicuti eam ſummus condiderat Opifex, noſtra perſeveraſſet Natura! Tunc quippe nihil a ſe alienum putarent homines, & æque ab omnibus jus coleretur. Quibus enim rationem dedit Deus, iis recta data eſt ab eodem. Non ideo tamen ſecuri ſine alio, ſupernoque auxilio eramus futuri, quum hæc & errare, & falli potuerit, ſicuti revera in protoparentibus erravit, ac decepta fuit. Quid ergo poſt eorundem exemplum, quod humano generi tam ingens attulit incommodum, nos miſeri ignorantiæ tenebris occæcati, viribus fracti, ac internis, externiſque motibus diu, noctuque agitati, facturi erimus, ſi ſupernum lumen, de æterno lumine manans, non reſpicimus; ſi auxilium ab omnipotente oblatum, non recipimus; ſi ſemitam, a duce falli, ac fallere neſcio, explanatam percalcare nolimus? Quid? Diu quærere non eſt opus. Humana omnia, in orbem volutata, unde diſceſſerunt, eo cum negociis civilibus non ſolum commenta redeunt ingeniorum, ſed etiam morum, ſcelerumque portenta.

Sed

XXIX. Sed tandem quid novæ philosophiæ reponant Præceptores audire non pigeat, ne his temere, aut affectata oscitantia posthabitis, præterire eorum scita videamur. In omnibus namque servare se modum docent. Nulli nocere præcipiunt; ac omnes volunt suum bonis, honestisque artibus informare animum, & reipublicæ pro virili prodesse. Talia idcirco condiderunt præcepta, quæ si a singulis hominibus amplectantur, quamquam diversa sint aut lege, aut religione ligati, omnes ad unam æquitatis, atque humanitatis regulam facili negocio sine discrimine sacrorum, quæ colunt, reduci poterunt. Præcepta autem isthæc sunt (1).

*Fide Deo. Diffide tibi. Fac propria. Castus*
*Funde preces. Paucis utere. Magna fuge.*
*Multa audi. Dic pauca. Tace abdita. Disce minori*
*Parcere, Majori cedere, ferre parem.*
*Tolle moras. Minare nihil. Contemne superbos.*
*Fer mala. Disce Deo vivere; disce mori.*

Postrema vero hæc suam apud quosdam habent appendicem, quæ talis est (2).

*Dumque mori disces, sola ratione magistra,*
*Et duce Natura, vive, beatus eris.*

 Hæc

(1) Apud Anonym. *De l' Orig. des Franc. Mac. pag.* 11.
(2) Apud Berigard. in Circul. Pisanis XX. pag. 710.

Hæc addenda necessario erant, ut dignosceretur quam honesta, quam recta, quam sancta sint, quæ in hisce carminibus præcipiuntur, nequis incaute nihil prudentius excogitari potuisse credat si ad verborum primorum corticem attendat, ac ibidem solummodo hæreat. At quibus involvantur fraudibus præcepta ista is facile intelliget, qui eo discusso nudam exquirat latentem impietatem. Qui enim fieri poterit, ut Deo vere fidat, qui Deum, qualis sit, nec vere novit, nec vere credit, nec vere colit? Non enim Numen æternum, quale esse debet rerum omnium principium perfectissimum, omnino increatum, ac independens, credere aut noscere, aut colere is putandus est, qui religiones omnes uno, eodemque loco habet, nec unam alteri præferandam, nisi suo putat arbitrio, quum hoc ideo fiat, necesse est, aut qnod nullam religionem veram esse existimet; aut quod esternam dumtaxat, divina revelatione sublata, censeat humano generi opportunam. Sequitur itaque, ut cui nulla religio 1 est, aut cui externa solum, nulla pariter fiducia sit, vel umbratilis tantum, & vana. Non est heic locus, Beatissime Pater, quo alia percurram, latensque virus extundam; sed passim, quum sese occasio obtulerit, Lactantii nostri, eloquentia, in ejusdem operibus mirifice coruscans, luce, ac vi sua incredibili, id totum di-

discutiet, dissipabitque (1). Ultimum tamen intactum præterire nequeo, in quo illud Megaræ apud Senecam meminisse juvat (2).

. . . . *Cogi qui potest, nescit mori.*

Ut manifestum fiat, non timentibus Deum, neque ipsi vere fidentibus, mortem unam superesse formidandam, quam contemnere qui potis est, quicquid maluerit, in homines non solum de plebe natos, sed in Senatores, in Principes, immo in Deum ipsum audere poterit. Non propterea rationis lumine hominem uti censendum est, si is, supernæ veritatis ignarus, supremum Numen se nunc rite colere posse arbitretur, ac dissidentium tantopere opiniones ita esse innocuas ex animo censere, ut minime obstent, quominus Deo fidat, Deo vivat, Deo moriatur. Sicque universa præceptorum strues dilabitur, destructis jam fastigiis pariter, ac fundamentis; sicuti re vera in eo destructa fuerunt qui ait: *Colo Deum talem, qualem Princeps, vel Respublica me jubet. Si Turca, Alcoranum; Si Judæus, vetus Testamentum; Si Christianus, novum Testamentum veneror pro lege, & religionis meæ norma. Papa si imperat, Deum Credo transubstantiatum; si Lutherus, Deus mihi particularis* IN, CUM, & SUB, *circum-*



(1) Confer Diss. nostram XXVIII. Cap. IV. *de Hominum officiis*.
(2) Senec. Hercul. Furens A. II. Sc. III.

*cumvallatur*; *Si Calvinus*, *signum pro Deo sumo*. *Sicque cujus regio*, *in qua vivo*, *ejus*, *me regit opinio*. (1).

XXX. Quamquam, etsi optima forent, riteque lata eadem præcepta, frustra nihilominus adhiberentur, ut *ad æquitatem naturalem*, *humanitatemque homines injusti revocari possent*. Siquidem religione sublata, aut inconsulta, aut etiam humano arbitrio de hac, vel illa eligenda, seu retinenda, facultate concessa, jam quid justum, iniquumve sit, ita ab hominum opinione pendebit, quemadmodum olim placita philosophorum, ac legumlatorum scita, quorum discrepantias numquam hactenus humana ratio diremit. Hinc consequens est, quod cogitandi libertate in omni negocio soli humanæ rationis regimini subacta, non bene morata respublica, sed confusissimum Chaos emergat, necesse sit.

*Hinc scelus in tenebris admissum, obscuraque virtus*
*In pari erunt pretio*; *pendebit utrumque vagantis*
*Arbitrio vulgi*, *nec erit nisi nomen inane* (2).

*Quemadmodum enim quisque generatus*, *quemadmodum educatus*, *quemadmodum institutus*, ut inquit Cicero, *ita etiam moratus* fue-

(1) Anony. Auth. *Medit. Philosoph.* de Deo, Mundo, & homine Cap. I. §. XXI. p. 17.
(2) Cardinal de Polignac *Anti-Lucr.* L. I. a vers. 141.

*fuerit oportet*, nisi id adipiscatur, per quod cum alienam, tum suam in se corrigat naturæ depravationem; Et idcirco quum id suis viribus nancisci minime potuerint primi nominis philosophi, nullus inter eos repertus est, qui ita animo, & moribus constitutus esset; ut recta ratio postulare videbatur (1).

XXXI. Quæ quum ita se habere, sicuti a me exposita, ac demonstrata sunt, nemo sanæ mentis non videat, patet jam vel ab errantibus illusos esse, vel se incautis illudere velle, qui iisdem præceptis tribuunt, ita formatos esse suorum sociorum mores, ut Cleantis (2) effatum illis quadrare velint, qui ad instar Arcesilai, vitia, & virtutes commiscentis, minus caute fari videntur. Nempe si *hominum officia verbis aliquando tollunt*, *operibus tamen illa commendant*; scimus enim Cleantem per adulationem (3) locutum fuisse de Arcesilao, quem & verbis, & operibus scelestum, *juvenum corruptorem*, *disertum impudicum*, *ac temerarium*, Aristone (4) Chio teste fuisse didicimus. Jactent inter eosdem non solum operibus; verum etiam cogitationibus justitiam coli. Nullus id, nisi insanus credat, quum virtutibus non sit locus aliquis ubi morum regula a capite ad calcem falsa est, & qui-



(1) Cic. L. II. *Quæst. Tuscul.* 16.
(2) Apud Laert. *L. VII. Seg.* 171.
(3) Laert. *ibidem*.
(4) Apud eundem L. IV. Seg. 39.

& quidem talis, ut ea uniuscujusque arbitrio in quamcumque partem verti possit. Quamobrem non heic necesse est, omnia eorundem placita recensere, quæ ab iis propugnantur, quos hodierni Sapientes in Adeptorum societatem recipiunt; illa si contractim recitavero, quæ menti occurrunt ad metam properanti, satis erunt, ut æqui judices noscant, eos, sacris, quæ colunt, inviolatis, nullo posse inter se certo, inviolabilique fœdere copulari.

XXXII. Sunt enim inter illos aliqui, qui sententiam omnem in dubium revocant, ac certi quid, ubi pedem figant, se inventuros esse desperant; & quamquam legibus, moribusque regionis illius, in qua degunt sese externo cultu quodammodo attemperant, mente tamen de Deo, sit ne, an non sit? Humana regat, an minime? Nullo modo disquirendum arbitrantur. Alii omnia eadem lance expendunt dogmata, sive revelata dicantur, & sint, sive propria cujuscumque Sectæ, aut saltem Christianorum dumtaxat. Suæ immemores imbecillitatis nonnulli viam propriæ beatitatis, sibi ipsi duces exquirunt, ac quæ magis hodie placent, cum iis, quæ antea probaverant in dies commutant. Non desunt, qui internos animi perturbati motus pro divinis habent impulsibus, quos suæ, alienorumque morum normam esse volunt. Plerique nunc unam, mox aliam, aliquando nullam, sæpe omnem approbant, vel im-

improbant vivendi rationem,ac nullo assumpto nomine libere de omni quacumque opinione pro arbitrio judicare malunt. Innumeri pene Hæretici principiis ex verbo revelato, aut tradito, seu etiam explicato, pessime tamen depravatis, ac sæpe, ut eorum mos est, variatis, pertinaci obstinatione adhærent, Romanæ,Apostolicæ, ac Sanctæ,Catholicæ Ecclesiæ semper infesti. Hebræi nec Christum, nec novum per ipsum fœdus, nobiscum initum,recipiunt. Turcæ Mahumedis deliria disciplinis omnibus anteponunt. Cæteri mortales vel Idololatræ,vel Pantheistæ,vel demum Athei sunt,quibus omnibus nos Catholici, utpote evidentibus credibilitatis nostræ argumentis unice,ac præ aliis gaudentes,tantopere repugnamus,ut neque cum singulis, neque cum plerisque omnibns in sacris communicare possimus, nisi ejerata fide, quam ad sanguinis usque effusionem sanctissime tueri, Deo vivo, & vero in nostræ regenerationis salutari lavacro spopondimus, ac sæpe deinceps polliciti sumus. Illi omnes inter se sacris ipsis, quibus initiati sunt, non solum diffident, sed eadem sacra mutuæ sunt abominationis, atque execrationis caussæ. Neque heic de solo sectarum discidio, ac quotidiano loquor conflictu; sed etiam de discrepantia, quæ inter eos, qui unam, eandemque doctrinam tueri contendunt: quum certissimis testimoniis constet Mahumedis sectatores præcipuos,

puos, quales ſunt Turcæ, Perſæ, ac Arabes tanto inter ſe religionis cauſſa odio flagrare, ut in precibus ſuis diris invicem alterum devoveant, & unus alteri ſalutem deneget. Hebræorum commenta quantum inter ſe diſtent, ſatis ſuperque teſtantur Scripturarum oracula, Kabbalæ, traditiones, ac utriuſque Talmudis paginæ, ſi conferantur. De Hæreticis noſtri temporis quid dicam? Quum eos jam pudeat a cujuſcumque ſectæ conditore nomen, ut olim in more habuerunt, aſſumere: Illud de eis veriſſime dicitur: *Quot Capita, tot ſententiæ*, & quidem non in variis ſolum Provinciis, ac Regnis, ſed domo etiam in una, in eademque familia quam longiſſime ſe mutuo abhorrentes. De aliis non eſt quid memorem, quum nec ipſi ſciant quid vere profiteantur. Qua ergo ratione ſine ſacrorum diſcrimine injuſtos homines, qui in hiſce ſectis reperiuntur, ad æquitatem naturalem, humanitatemque revocare poterimus? Quibus utendum ad hæc obtinenda principiis? Queiſnam legis humanæ, aut divinæ vinculis inviolabile inter nos fœdus feriri poterit, ſi in præcipuo, ſi in ſummo, ſi in eo, quod primum eſt tantopere diſcrepamus? Religio (1) ſiquidem eſt unicum ſocietatis, ac pacis vinculum, ac omnis compaginis fundamentum, in cujus ſtabilitate, ac firmitudine om-

(1) Samuel Puffend. *de Offic. Hom., & Civis juxta legem Nat. L. I. Cap. IV. §. IX.* Ad quem vide Carmichal. *nota* 1.

omne fœdus inniti debet, ut ſtabile ſit, & inconcuſſum. In ea omnis diſſimulatio nefas; ſimulatio omnis ſacrilegium. Hæc ſi deſit, jam nec æquitas, nec humanitas, nec honeſtas, nec fides, nec pudor erit, quibus ſocietas illa contineatur, foveatur, æternumque duret. Hæc niſi una in omnibus fuerit, fruſtra ex pluribus unum conflari cætum deſideratur, & vana eſt omnis ſpes de Juſtitiæ in terris poſtliminio. Iccirco (1) *Pietas ac æquitas*, ajebat Lactantius: *Quaſi venæ ſunt ejus. His duobus fontibus conſtat tota juſtitia; ſed caput ejus, & origo in illo primo eſt: in ſecundo vis omnis, ac ratio. Pietas autem nihil aliud eſt, quam Dei notio, ſicut Triſmegiſtus veriſſime definivit, ut alio loco diximus* (2). *Si ergo pietas eſt, cognoſcere Deum, cujus cognitionis hæc ſumma eſt, ut eum colas; ignorat utique juſtitiam. qui religionem Dei non tenet: quomodo enim poteſt eam ipſam noſſe, qui unde oriatur ignorat? Plato quidem multa de uno Deo locutus eſt, a quo*, ait, *conſtitutum eſſe mundum: ſed nihil de religione. Somniaverat enim Deum, non cognoverat. Quod ſi juſtitiæ definitionem vel ipſe, vel alius implere voluiſſet; in primis religiones Deorum evertere debuit, quia contraria ſunt pietati*: Sicuti etiam, ut conſequens eſt, ea omnia, quæ ipſam

(1) Lact. L. v. Inſt. Divin. C. xv. Seg. 10.
(2) Idem L. II. Cap. xv. Seg. 6.

ſam religionis veræ unitatem diſcindunt.

XXXIII. Non prodeſt itaque cum quibuſdam heic regerere, ſe Deum noſcere unum, eumque una religione, quam veram credit, ſummo honore colere; ſed unicuique ſuam libere exercendam relinquere, ut civili inter nos commercio gaudere omnes facile poſſint, mutuiſque prodeſſe officiis (1), *quum varietas ipſa ſacrorum ad majorem Dei gloriam conferat, nec detrimentum aliquod ſocietati afferat. Quemadmodum Principis nomen, ac potentiam mirifice effert, atque ſupra cæteros extollit linguarum, veſtium, armorumque diverſitas, qua populi, eidem ſubjecti, utuntur, etiam quum regiam intrant civitatem, illamque præſentia, ac mercibus ornant, & ditant.* Nihil inquam Cauſſæ ipſorum iſta hæc proſunt. Siquidem delirare potius, quam diſputare eſt, ſermonis, atque ornamentorum diverſitatem cum cultus religioſi diſcrepantia comparare. Illa quæcumque ſint, nec Deo, nec Principi aliquid derogant. Hæc autem de ſummi Numinis attributis non ſolum derogat, verum majeſtati illius maximam irrogat injuriam; & quidem longe majorem ea, qua quis putaret principem ſuum affici, ab iis, qui legibus ab eo latis ſcita opponerent contraria, pro quibus tuendis illas labefactarent, ac ſcinderent. Deum

(1) Traitè de la Raiſ. Hum. pag. 45.

Deum quippe colere omnis ratio docet; modum vero, quo colendus est, ipse unice præscribit; unde scite de more Lactantius noster inquiebat (1). *In colendo sapere debemus, id est, scire quid nobis, & quomodo colendum sit: Et in sapiendo colere, id est, re, & actu, quod scierimus implere. Ubi ergo sapientia cum religione conjungitur? Ibi scilicet, ubi Deus colitur unus, ubi vita, & actus omnis ad unum Caput, & ad unam summam refertur.* Qui ergo ad æquitatem naturalem omni de religione controversia seposita, ac sine sacrorum discrimine, injustos homines revocari posse contendunt ex Firmiani nostri operibus, non ea sola ignorant, quæ ab authore nostro de justitia traduntur, verum etiam id, in quo æquitas naturalis sita sit, numquam se novisse demonstrant, vel saltem depravatam inter, ac integram naturam nihil distare, stultissime sibi persuaserunt. Nec circa humanitatem minus aberrant. Nam idem Lactantius docet, hanc nihil aliud esse, quam ejusdem Justitiæ officium secundum; ait enim (2). *Primum officium justitiæ est conjungi cum Deo: secundum cum homine. Sed illud primum, religio dicitur, hoc secundum misericordia, vel humanitas nominatur, quæ virtus propria est justorum, & cultorum Dei.*

(1) Lact. L. IV. Cap. III. Seg. 6.
(2) Lact. L. VI. D. Inst. Cap. X. Seg. 2.

*Dei, quod ea sola vitæ communis in se continet rationem.*

XXXIV. Revocet nunc aliquis his definitionibus perceptis injustos homines ad æquitatem naturalem, atque ad humanitatem, sacris, quæ colunt, intactis, ac cogitandi libertate non coercita: & jam sine cordis, ac cerebri cognitione, animorum medicinam parare, mentisque sanitatem furiosis restituere, eum posse, putabimus. Non enim minor esse debet in corpus medentibus notio illius arctissimi commercii, quod cerebrum inter, & Cor intercedit, ad mentis depravationem curandam, quam medentibus animum, injustitiæ, ac inhumanitatis tabe labefactatum, sit notitia nexus omnino indissolubilis, quem religionem inter, & humanitatem Deus instituit. Quam doctrinam quum ignorent hodierni Philosofii, dum societatis humanæ communionem prædicant, ab ea plane se ipsos, discipulosque suos inhumana prorsus ratione dissociant. Illi autem inter omnes ab ea quam longissime abeunt, qui eo cæcitatis extremo laborant, ut asserere non erubescant: *Libertatem philosophandi non tantum salva pietate, & Reipublicæ pace posse concedi, sed eandem nisi cum pace Reipublicæ, ipsaque pietate tolli non posse* (1). Atque ille, qui addidit. *Non inveniri*

(1) Ben. Spin. *Tract. Theol. Pol. hoc potissimum insinuare intendit.*

*ri posse aliquem cujuscumque ordinis, seu conditionis, hostem libertatis cogitandi, quin etiam cerebrum depravatum habere, ac cum Fanaticis facere, non deprehendatur* (1). Ii quippe veram rerum notionem amiserunt, & fictam, versatilemque libertatis imaginem in spectaculum inducunt, qua dolos, fraudesque nectant, improvidis decipiendis accommodatas, quum iidem ipsi a pravo sæculi *Genio* illusi in adeo profundas tenebras demersi jaceant, ut homines ad illum concordiæ statum reduci optent, quem ipsi interea subvertere, ac pro virili destruere summopere nituntur. Nec immerito deflendæ obcæcationis pœnam patiuntur (2). *Sublata enim Dei religione boni quoque, ac mali scientiam perdiderunt. Sic hominibus intercidit communitas vitæ, & diremptum est fœdus societatis humanæ*, ut antiquis jam Firmianus observaverat accidisse.

XXXV. Quare non est adeo mirandum si hujusmodi homines morum pessimam illam disciplinam, ac civilis philosophiæ pestem in terras quasdam invexerunt, ubi Jus naturale definitur (3). *Libertas, quam habet unusquisque, potentia sua ad naturæ suæ conservationem suo arbitrio utendi, & illa omnia, quæ eo videbuntur tendere, faciendi*. Ex eodem fonte illa quoque nefanda manarunt effata, scilicet

(1) *Collin. de libert. Cogit. Sect.* 3.
(2) Lactan. L. v. Cap. v. Seg. 13.
(3) Thom. Hobbes *de Homine Cap.* XIV.

cet (1) *Quoniam non eadem omnibus bona, & mala sunt, contingit, eosdem mores ab aliis pro virtutibus haberi, ab aliis pro vitiis. Itaque nisi in vita civili virtutum, & vitiorum communis mensura non invenitur: quæ mensura ob eam caussam alia esse non potest, præter uniuscujusque civitatis leges. Has enim ad commune bonum humana prudentia reperit, experientia in cœtus civiles sensim inductas conservavit, hisque timor pœnarum sensim parere coegit* (2).

*Hæc est, Hobbesium si consulis, aut Epicurum,*

*Justitiæ; nec non & Relligionis origo:* Quorum tamen stultitiam non solum doctores nostri manifesta ratione, ac divinorum oraculorum authoritate refellunt, sed Tullius ipse omnium antiquorum placitis repugnare testatur, idcirco ait (3). *Hanc igitur, video, Sapientissimorum fuisse sententiam, Legem neque hominum ingeniis excogitatam; nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quoddam, quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia..... quæ vis non modo senior est, quam ætas populorum, & Civitatum; sed æqualis illius, Cælum, atque terram tenentis, ac regentis Dei.* Quum hæc apud Ethnicum scriptorem re-

(1) Idem *ibidem Cap.* XIII.
(2) Cardin. de Polignac *Anti-Lucr.* L. I. vers. 605.
(3) Cic. *Lib. II. de Leg. p.* 1248. *seq.*

recolo, illud mihi maximam admirationem movet, homines nunc, qui Chriſtiani appellari volunt, tanta affectos eſſe ignorantia, ſimul, & audacia, ut iis contraria doceant, propugnent, inclament, audianturque, nec pudor, aut timor ullus in docentibus ſit, aut in auditoribus? Sed heic ab iis lubet inquirere; qua itaque ratione diſſitæ terra, marique gentes in unam poterunt ſocietatem confluere, unamque æquitatem naturalem fovere, ſi naturæ jus a municipali uniuſcujuſque civitatis lege dependet, & quod heic juſtum eſt, illic cenſetur injuſtum? Dictatoris more demens, ac temerarius impietatis doctor reſpondet: *communis vis, & potentia, ad quam conſtituendam, ut homines ſecuros præſtare poſſit, unica via eſt hæc, ut potentiam, & vim ſuam omnem in hominem, aut in hominum cætum unum unuſquiſque transferat, unde voluntates omnium ad unicam reducantur, & ejus voluntati, ac judicio voluntatem ſuam ſubmittat. Hæc multitudo, illa una perſona eſt*, quæ Civitas, & Reſpublica *vocatur, & magnus ille Leviathan, cui pacem, & protectionem ſub Deo immortali debemus* (1).

XXXVI. Oh vere dignum tanto præceptore dictatum, quo ne poſteri putarent ſe partes fovere voluiſſe Conditoris ſectæ *complana-*

(1) Thom. *Hobbes Leviath.* C. XVII.

*natorum* [1] nova in regem molientis, depellere hisce versibus a se calumniam (2) posse putavit.

*Sed meus ille liber, simul atque Scholaribus illis*
*Lectus erat, Jani dissolvere fores.*
*Nam Regi accusor falso, quasi facta probarem*
*Impia Cromvelli; Jus sceleri que darem.*

Quid ergo voluerit sibi quum immanis belluæ nomen, in divinis scripturis non semel usurpatum, suo dedit infelici operi, quo sicuti veritatis summam labefactavit, penitusque subvertit, sic nihil intactum aut sceleris, dolique intentatum reliquit; alii judicent, a quibus ea de re S. Gregorius Magnus (3), atque Hieronymus, duo Ecclesiæ Dei præcipua lumina, consuli poterunt: equidem, & si Tullianos facundiæ fontes haberem, ab iniquitatis magnitudine exhauriri hoc unico vocis hiatu deberent. Illud tamen arripiam, quod ab invito pectore veritas expressit. *Homines* nimirum *in terris securos esse non posse, nec quieta tranquil-*

(1) Cromvvellum intellige, quem suæ societatis authorem dicunt, qui a *muris* nomen habent destruendis potius, quam ædificandis. Anony. *de l'Orig. des Franc. Mac.* p. 4. seq.

(2) Thom. Hobb. in vita sua, a se vincta Oratione exarata an. 1672. a vers. 215.

(3) S. Gregor. M IV. Mor. II. 33. 12. & Hom. XXV. In Job. XLI. 1. S. Hieron. in Isai. XXVII. Adde M. Simon, & Calmet dict. Bibl.

*quillitate frui, nisi vim omnem, & potentiam in unum hominem*, ac ( non *aut* ) *in unum hominum Cœtum* ( non *Ipsi* ) Deus tranferat, *a quo est omnis potestas, & imperium*. Ita est; nec defuit mortalibus semper providum, ac clementissimum Numen, quod ab orbe condito Adamum, protoparentem nostrum, humani generis caput, rectoremque constituit, in cujus stirpe per Sethum propagata, usque ad universale diluvium cæterorum regimen permansit: permisso Cainianæ stirpi, ut eo, quo vellent regimine, gubernarentur. Post ultrices naufragii aquas Noacho dominium in res creatas Omnipotens demandavit, & fædus de terrarum orbe, non amplius per aquas perdendo, cum eodem percussit, iride, pacis teste constituto. A tribus Noachi filiis, quibus Parens eorum ante obitum suum terrarum partes divisas, tamquam patrimonium ipsorum, constituerat occupandas, gentes omnes, quæ Universum incolunt, suam trahunt originem, ita respublica gubernata fuit, ut qui post Cham abierunt, jura gentium suo Marte conderent, quoniam legem Dei jam abiecerant; qui vero Semum secuti sunt, in cujus stirpe purus Dei cultus permansit, acceptam a patre legem, ac vivendi consuetudinem per Abrahamum ad Moysen, & Aaronem usque, germanos fratres, unanimi consensu propagarunt. Fratribus hisce duobus totius populi sui curam ipse met

Deus ſic demandavit, ut Sibi ſoli omnium reſervatum eſſet imperium, Aaron ſacris operaretur, Moyſes dux eſſet Examinis. Illi in Sacerdotio numquam ſucceſſores defuere; hunc vero primum Duces, vel Judices, deinde Reges, & Tetrarchæ exceperunt ad Chriſtum uſque Sacerdotem ſimul, & Regem maximum, qui quum caput, & reparator totius humani generis conſtitutus eſſet ab æterno, plenitudinem poteſtatis in terris non minus, quam in Cælis obtinuit, & quamquam civilem juriſdictionem per ſe met ipſum nunquam adminiſtravit, aut ab iniquis judicibus auferre voluerit, eam tamen iis, qui ſuas in terris vicarias vices ſucceſſivis temporibus acturi erant, proprio jure exercendam reliquit. Ordinata enim Eccleſiæ, ſponſæ, ſuæ æconomia, ad Cæleſtia regna humanitatem noſtram triumphali gloria elaturus, utramque poteſtatem, Petro Apoſtolorum Principi, contulit, eum, legitimoſqne ejus in Apoſtolica Sede ſucceſſores, non ſine divino afflatu eligendos, vicarios ſuos verbis illis primum deſignans: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in*

*in Cælis* [1]. Deinde vero post suam resurrectionem coram Apostolico Senatu solenniter hisce aliis constituens per triplicem interrogationem, responsionemque: *Pasce Agnos meos* (2): *Pasce Agnos meos*: *Pasce oves meas*: Universum, videlicet gregem, ut & futuros duces particularium Ecclesiarum, & Reges populorum, ac gentes omnes, eidem per prædicationem Evangelii subjiciendas, suæ curæ nosceret esse demandatas, & Apostoli discerent non amplius de primatu (3) sollicitos se esse debere. Unde Bernardus ad Eugenium Romanum Pontificem, & D. Petri in Apostolica Sede successorem scribens (4): *Habent* inquit, *illi assignatos greges, singuli singulos; Tibi universi crediti sunt: uni unus: nec modo ovium, sed Pastorum: Tu unus omnium Pastor*. Apostoli sane *Agnis* ab eodem Christo Domino fuerant paullo ante, quum de eorundem missione loqueretur, non incongrue assimilati. *Ecce ego mitto vos, sicut Agnos inter Lupos* (5). Reges vero, ac Principes eadem similitndine adumbratos esse, illud Isaiæ ostendit. *Et pascentur agni juxta ordinem suum* (6): Ita etiam & fideles omnes sub ovium figura appellatos fuisse, pluries in divi-

 nis

(1) Matth. XVIII. 18.
(2) Jo. XXI. 15. 16.
(3) Matth. XVIII. 1. 5. Marc. IX. 34. Luc. IX. 47.
(4) S. Bern. *L: III. de Consid. Ad Eugenium R. P.*
(5) Luc. X. 3.
(6) Isa. V. 17.

nis ſcripturis manifeſtiſſime apparet; unde apud eundem prophetam legitur de univerſo grege a chriſto Domino in ſua paſcua congregando. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit; fœtas ipſe portabit* [1].

XXXVII. Quid ergo ultra quærunt ſtultiſſimi Machinatores? Num meliorem, ſtabilioremque putant ſe rempublicam conſtabilituros, aut eam reformaturos, quam Deus ipſe conſtituit? An heic reponere cum Hæreticis quibuſdam volunt expoſitiones Patrum, qui verba illa explanantes, inter ſe diſſidere videntur? Sed utinam Patrum ſanctorum ſententia contentio omnis finienda ſit! Nullus quippe inter eos eſt, qui neget, Petrum eſſe, poſt Chriſtum, lapidem primarium, ſuper quem Eccleſiam ſuam Reparator noſter ædificavit. Non me latet quid hac de re Cyprianus, quid Auguſtinus, quid Hieronymus, aliique Eccleſiæ doctores dixerint, quidque nobis adverſarii noſtri ex illis petitum obiiciunt; ſed ut omnes noſcant qua id fide factum ſit, potiora referam, quæ ab eis allata ſunt, ut quiſque videat, quo illi errore laborent. *Claves* (2) cum Auguſtino dicunt: *non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ. Hinc ergo Petri Excellentia prædicatur, quia ipſius univerſitatis, & unitatis Eccleſiæ figuram*

(1) Iſ. XL. 11.

(2) Serm. CCXCIII. Al. CVIII. de Temp. Adde Retr. L. 1. Cap. XXI.

*ram gessit*, *quando ei dictum est*: TIBI TRADO, QUOD OMNIBUS TRADITUM EST. Sed non pigeat, quæ sequuntur expendere. *Merito etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas*, *non enim inter discipulos solus meruit pascere dominicas oves*; *sed quando Christus ad unum loquitur*, *unitas commendatur*, ET PETRUS PRIMITUS, QUIA IN APOSTOLIS PETRUS EST PRIMUS. Et quidem quum de legatione Apostolorum loquuntur Evangelistæ, PRIMUS (1), inqiunt, *Simon*, QUEM COGNOMINAVIT PETRUM. Et idcirco non vereor cum Cypriano dicere: *Hoc erant utique & Cæteri Apostoli quod fuit Petrus*, *pari consortio præditi*, *& honoris*, *& potestatis*, *sed* (cum eodem Cypriano Lectionem prosequor). *Exordium ab unitate proficiscitur*; ET PRIMATUS PETRO DATUR, *ut una Christi Ecclesia*, *& Cathedra una monstretur*. *Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat*, *& dicit*: UNA EST COLUMBA MEA, PERFECTA MEA; UNA EST MATRI SUÆ, ELECTA GENITRICI SUÆ. *Hanc Ecclesiæ unitatem*, *qui non tenet*, *tenere se fidem credit*? *Qui Ecclesiæ* renititur, & resistit, QUI CATHEDRAM PETRI, SUPER QUAM FUNDATA EST ECCLSIA, DESERIT IN ECCLESIA ESSE SE CONFIDIT? *Quando & B. Apostolus Paulus hoc idem doceat*,



(1) Matth. 10. 2.

*ceat, & sacramentum unitatis ostendat dicens:* UNUM CORPUS, & UNUS SPIRITUS, UNA SPES VOCATIONIS VESTRÆ: UNUS DEUS UNA FIDES, UNUM BAPTISMA, UNUS DEUS, ET PATER OMNIUM &c. (1) Qui omnibus quidem Apostolis clavium potestatem dedit, sed claves ipsas uni, & soli Petro se daturum Christus spopondit, quia ei soli plenitudinem potestatis præ cæteris erat collaturus in singulos, ut illud inde *regnum Sacerdotale* [2] consurgeret, quod Deus se conditurum Hebræis erat pollicitus, & quod jam a Christo Domino constitutum in terris idem Petrus fidelibus annunciavit iisdem scribens (3) *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, quo regnum civile non sustulit, nec judiciarium in laicos subditos, Regibus, vel ab ipso Deo, vel a jure Gentium, collatam potestatem ademit, sed, si qui ea fruebantur, in Ecclesia esse voluissent, scirent, se membra esse debere, non capita, Agni non Pastores, vel ita duces, & rectores aliorum, ut unius capitis parerent directioni, & illius correctioni, si forte deliquissent, obnoxios se esse monerentur. Quemadmodum, quum ipse Deus Hebræis Regem constituerat, illum summo sub-

(1) S. Cyprian. de Unit. Eccel. juxta antiquam Lect. tam in Epist. II. Pelagii II. ad Epis. Istriæ, quam vetust. Codd. Mss. Panvin., Baron., Pamel. aliisque visis apud Anonym. S. Mauri Monac. in editione ven. MDCCXXVIII. Præf. n. III. pag. XII.

(2) Exod XIX. vers. 6.

(3) I. Petr. Cap II.

ſubjecerat Pontifici, qui ſuprema authoritate Concilium ſeptuaginta ſeniorum moderabatur, ad quod de lege, de Rege, ac de Propheta ſpectabat judicare (1).

XXXVIII. Hinc geminos etiam gladios (2) in expeditione Apoſtolorum ad refractarios compeſcendos, protegendumque ab hoſtibus gregem ſuum, Chriſtus voluit adjunctos, quorum unus Eccleſiaſticam, alius civilem ſignifieavit poteſtatem, eorum Principi collatam, cui proinde in horto, Pontificis ſervum ferienti (3), ferrum non abjiciendum juſſit; ſed ad uſum imperavit, ut conderet. *Mitte gladium tuum in vaginam* (4). Hic gladius per Iſaiam dicitur *repletus ſanguine*, *& incraſſatus adipe Agnorum*, *Hircorum*, *& de ſanguine medullatorum Arietum* (5); *& hoc in gladio ſuo duro*, *& grandi*, *& forti*; vel *Sancto*, *& magno*, ut Septuaginta legunt Iuterpretes *viſitabit Dominus Leviathan*, *Serpentem vectem*, *& ſuper Leviathan*, *ſerpentem tortuoſum*, *& occidet cætum*, *qui in mari eſt* (6) Belluam ſcilicet illam amphibiam, quæ noctu in aquis, interdiu in terris degere dicitur, & non niſi ab imprudentibus, ac te-



(1) Apud Phil. L. II. de Temp.
(2) Luc. XXII. 38.
(3) Jo. XXIII. 10.
(4) Ibidem verſ. 11.
(5) Iſ. XXXVI. 6.
(6) Idem XXVII. 1. ſeq.

merariis hominibus quum dormit suscitatur(1). *In die illa vinea meri cantabit ei* (2). Vinea nimirum illa, cujus, Christus est vitis (3), Pater ejus Agricola, fideles autem palmites, quorum *si quis in ea non manserit, mittetur foras, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*. Præcisio autem ista ab eo fit, qui vineæ Domini procurator est, de quo Paulus ait (4); *Non enim sine caussa gladium portat*. Et idcirco clamat (5): *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Ordinem autem hunc Christus in Ecclesia sua esse voluit quum morte devicta ait: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra* (6), eamque uni Petro se contulisse apparet, quum, tametsi de Leviathane dictum fuerat: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeat* (7); *nec eum quisquam extrahere hamo ab aquis poterit*;(8) Petro tamen jussit, ut hamum mitteret, quo apprehenderetur, & aperto ore ejus, staterem inven-

(1) Job. III. 8.
(2) Isaias ubi suprà vers. 2.
(3) Jo. XV. 1. & 6.
(4) Ad Rom. XIII. 4.
(5) Ibid. vers. 1. seq.
(6) Matth. XXVIII. 18.
(7) Job. XLI. 28.
(8) Idem XL. 20.

ventum (1) pro se, ac Magistro suo Templi exactoribus penderet, non quia alteruter debuisset, sed ne cæteris occasio daretur scandali. Quamquam enim Dominus, ejusque Vicarius tributo solvendo non erant obnoxii, cavendum tamen eis fuit, ne in Ecclesiæ primordiis exemplo suo fidelibus obessent, si & ipsi voluissent a vectigalibus immunes censeri. Hac doctrina imbutus Petrus statim ac gregem dispersum ad se, tamquam ad *Pastorem, & Episcopum animarum suarum* (2) conversum, ejusque vocem audire cupientem novit, eum sic per Epistolam monuit (3): *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi, quasi præcellenti: Sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Sic deinceps gradatim ascendendo usque ad Episcopos; ad quos sermonem convertens, ea ipsis repetit quo ad Ecclesiam particularem, unicuique illorum commissam, quæ sibi a Christo de singulis demandatum erat (4): *Pascite, qui in vobis est, gregem Domini* &c. Et ne unquam timerent fideles se divi Petri cura, & custodia privandos esse, paullo antequam ex hac mortali vita raperetur, iterum ad eos scribens ait (5): *Cer-*

(1) Matth. XVII. 26. Confer Job ubi supra.
(2) I. Epist. Petri II. 25.
(3) Ibidem vers. 13. seq.
(4) Ibid. V. vers. 2.
(5) Idem Ep. II. Cap. I. 14. seq.

*Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei secundum quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi; Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis* &c. Ex quibus omnibus Hierarchicus ille ordo semper in Ecclesiæ futurus ostenditur, quem omnium Pastor in Ecclesia sua constituit, quum eam super hanc Petram fundavit. Quamquam enim ipsemet sit lapis ille angularis, *qui facit utraque unum*, & quem reprobarunt, nova in vanum molientes: licet Prophetæ, Apostoli, fideles omnes sunt lapides vivi (1), quibus Ecclesiæ fundamenta consolidata sunt, & parietes conjuncti, ac stabiliti; tamen necesse erat, ut unus semper omnibus præsideret. Nam ut Hieronymus ait (2) *Propterea inter Apostolos unus eligitur, ut capite constituto Schismati tollatur occasio* (3). *Neque enim*, ut ajebat Cyprianus *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex, vice Christi cogitatur*. Quod & alibi repetens: *Inde*, inquit, *schismata, & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & bo-*

(1) I. Petri II. vers. 5.
(2) S. Hieron. L. 1. adv. Jovinian. Cap. XIV.
(3) S. Cypr L. 1. Epist III. Al. *LV.* ad Cornel. R. E. P. M.

*& homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus judicatur* (1). Qua ergo fronte Romani Pontificis osores Cypriani, Augustini, Hieronymi, aliorumque Ecclesia Patrum, atque scripturarum divinarum testimonia opponunt, ut ejusdem præ cæteris authoritatem jure se non recipere, demonstrent, aut saltem ut ostendant, eum primum esse inter æquales, a quibus (2) *singulis in solidum pars teneatur Episcopatus totius Catholicæ Ecclesiæ*? Quid quæso aliud hæc reponendo agunt, nisi propriam inscitiam, aut proterviam manifestare, confundendo scilicet Episcopatum cum Episcopo, & loco removendi schismatum occasiones, eas pro viribus geminando? *Episcopatus unus est, & quidem, cujus a singulis* Episcopis *in solidum pars tenetur*, nam *Episcopatus* aliud non est in hoc sensu, quam *ordo omnium Episcoporum*: Unio nimirum plurimorum, non unitas capitis unius. Ab illa; quoniam separari potest, & aliquando discissa est, schismata, & hæreses male subortæ sunt, & oriuntur, quum hæc in divisione membrorum consistat, quæ inter se divisa, diversis adhærent capitibus. Ab ista eradicantur, quoniam *unitas Sacerdotalis*, quæ, eodem (3) Cypriano teste, ab ECCLESIA PRINCIPALI, nempe A ROMANA EXORTA EST, scindi nullo modo potest, quam-

(1) Idem L. IV. Epist. IX. Al. LXIX. Ad Florentium Pupianum.
(2) S. Cypr. de Unit. Eccl. prope Initium.
(3) Epist. LV. ad Cornelium R. P.

quamquam a communione ipsius plurimi sponte sua, quidam vero (1) *Sancto, ac magno illo gladio*, de quo supra diximus, præciduntur. Hic ergo desumendus est ille *judex, qui ad tempus vice Christi* Ecclesiam militantem in pace componat, dissidentia membra, & capita seditiosa compescendo: quod aliter fieri non posset. Nam ubi plurimi eadem, non subordinata authoritate pollentes, existunt, ibi nullus existit, ut optime noverat idem Cyprianus, qui quum in errorem rebaptizantium lapsus est, ait (2) *Episcopum se Episcoporum constituere æquo jure potest, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare*: Iccirco is omnino reperiendus est, qui alios quidem, sed quem nullus a Deo in jus vocare queat. Cujusmodi esse Romanum Pontificem ii omnes fateantur necesse est, qui, tamquam genuina recipiunt acta Concilii Sinvessani, in quo illud verissimum legitur. *Prima Sedes non judicatur a quoquam*; sicuti Petrum postulare de negatione Magistri, Apostolorum ausus est nemo; ac a Paulo reprehensum fuisse, prudenti silentio Evangelistæ omnes præteriere.

XXXIX. Declamatorem forte me heic jam di-

(1) §. XXXVIII.

(2) Idem in præfat. Concil. Carthagin. LXXXVII. Episc. in Causa de Rebapt. Hæret.

dicent Heterodoxi, quum præoccupari se videant nec tamen potissimam eorum objectionem recenseri audiant. Eja ergo pedem cum Calvino conferamus, a quo hæc pugna viribus, arte ac dolis, acrius quam a cæteris pugnata est. *Non nego* inquit, *quin magnum Romanæ Ecclesiæ honorem ubique deferant veteres, reverenterque de ea loquantur, quod tribus maxime de caussis fieri arbitror. I. Opinio enim illa quæ nescio quomodo invaluerat, fundatam, & constitutam, eum fuisse Petri ministerio, ad conciliandam gratiam, & authoritatem plurimum valebat. Itaque in occidente, sedes Apostolica caussa honoris vocabatur. II. Deinde quum illuc esset caput Imperii, & hac ratione credibile esset, præstantiores tum doctrina, tum prudentia, tum peritia, & multarum rerum usu, viros illic esse, quam alibi usquam, ejus rei merito habebatur ratio, ne & urbis nobilitas, & alia etiam dona Dei multo excellentiora contemni viderentur. III. Accessit ad hæc & tertium, quod quum Orientales, & Græcæ Ecclesiæ, Africanæ etiam, multis opinionum dissentionibus inter se tumultuarentur,* HÆC SEDATIOR ALIIS, ET MINUS TURBULENTA FUERIT. *Ita factum est, ut pii, & Sancti Episcopi, sedibus suis pulsi, illuc se, velut in asylum, aut portum quemdam, sæpe reciperent. Nam quo minus acuto, & celeri ingenio sunt Occidentales*

*tales Asiaticis, & Afris, eo etiam sunt rerum novarum minus cupidi. Hoc ergo Romanæ Ecclesiæ plurimum addidit authoritatis, quod non ita dubiis illis temporibus tumultuata est, ut reliquæ; ac doctrinæ semel traditæ fuit aliis omnibus tenacior. Has tres ob caussas non vulgari in honore habita fuit, & multis præclaris veterum testimoniis commendata* (1). Hactenus Calvinus, cujus argumenta tam valida non solum suis sectatoribus, verum etiam aliarum sectarum cultoribus, visa sunt, ut a nobis jam tria hæc dumtaxat ad summi Romani Pontificis Primatum, jure asserendum, evincenda adhuc esse contendant: *I. Caput aliquod Ecclesiæ visibile, seu vicarium quemdam a Christo servatore, fuisse constitutum, eumque fuisse Petrum. II. Petrum non tantum Romæ fuisse; sed Episcopatus munere ibi functum. III. Romanos Episcopos pro successoribus Petri habendos, eamdemque potestatem in Ecclesiam universam ab eo accepisse* (2). Ita quidem, ut quamquam olim in suis fidei confessionibus Helvetii dicerent, *caput Romanum tyrannidem suam, & corruptelam inductam in Ecclesiam* servare non solum; verum etiam impedire, oppugnare, & quantis potest viribus, excindere *justam Ecclesiæ reformationem*

(1) Calvin. L. I. Inst. Cap. VIII. n. 103.
(2) Jo. Franc. Budd. Instit. Theolog. Dogm. L. V. Cap. III. de Eccl. ad §. 5.

*nem:*[1] quamqum Angli profiterentur, numquam Romanorum Episcoporum aliquem *ante Phocam Imperatorem*(2), scilicet ante *DCXIII.* *annum a Christo nato, passum fuisse sese tam superbo nomine salutari:*(3) Wirtembergenses vero, se agoscere faterentur, *quod si Romanus Pontifex fuerit vir pius, & docuerit Evangelium Christi; juxta Prophetica, & Apostolica scripta, ministerium summæ in hac terra potestatis, videlicet ministerium remittendi, & retinendi peccata: quo ministerio non est in his terris, nec majus, nec excellentius.... Non solus, sed habet id commune cum omnibus iis, qui legitima vocatione annunciant Evangelium Christi*; tamen omissis aliis, qui eum dixere, vel *Antichristum* [4], vel *regiæ potestatis Usurpatorem* (5), Nunc tandem concludunt. *Primatum Romano Pontifici in Ecclesias universas jure divino non competere; de jure vero humano, primatum quemdam ordinis, ac dignitatis etiam in ve-*

(1) Confessio Helvetica breviter primum scripta an. MDXXXVI. ampliata postmodum MDLXVI., demum typis edita Tiguri MDCLI. Cap. XVII. pag. 33. P. 1.

(2) Confessio Anglica an. MDLXII. typis edita an. MDLXXI. pag. 91. P. 1.

(3) Confess. Virtembergica Synodo Tridentinæ proposita an. MDLII. die xxiv. Januarii, & excusa Francofurti an. MDLII. pag. 131, P. II.

Omnes ex Corpore, seu Syntagmate edito Genevæ MDCLIV.

(4) Confes. Scotica subscripta Edimburgi XXVIII. Januarii MDLXXXI. pag. 126. P. 1.

(5) Confes. Doctrinæ Saxonic. Eccl. Synodo Trident. oblata an. MDLI. præfat. pag. 51. P. II.

*veteri Ecclesia concessum minime denegari posse* (1).

XL. Unde non sulum ex Adversariorum nostrorum inconstantia, sed ex iis, quæ superius diximus: ac infra, & in dissertationibus (2) nostris dicenda supersunt, quam falsa sint, ac temeraria hujusmodi effata, hæretico cæno oblitæ, tam dilucide ostenditur, ut qui in errore perseverare proterve noluerit, nobiscum catholicam veritatem, vel ingratiis professurum esse tandem aliquando confidam: sicuti, tametsi sectarii plerique omnes a sæculo XVI. D. Petrum Romæ habitasse denegassent; postea tamen cordatiores inter eos, id gravi censura dignum asseruere.(3) Interea nihilominus, illud expendendum tam Heterodoxis, quam Politicis offero, quod non Romanus aliquis, aut Catholicus, sed Hæreticorum nostri temporis, in Romanos Pontifices infestissimus Lutherus, primum esse ait, quod animum suum movere potuit, ut crederet, Romanum Pontificem esse vere constitutum a Deo

(1) Jo. Franc. Budd. ubi supra.

(2) Præsertim Diss. XXX. Cap. I. §.III. seq. & Cap. IV. per tot.

(3) Vide Pears. *Oper. Posthum. a pag.* 27. Grotium *in I. Petri* v. 13. Usser. ad ann. Chr. LXVI. seq. Chamier. *Panstr.* Tom. II. L. XIII. C. IV. Blondell. *de Prim. pag.* 14. *ad* 19. *seq* Hammon. *Diss. V. de Episc., & Presbyt.* His adde Isaac. Vossium, Franc. Junium, Samuel. Petitum, Seldenum, Vedelium, aliosque, qui in PP. Apostolicos scripsere, & Guillielmum Cave *in Append. ad vitam* S. Petri pag. 39. advers. Spanhemium, & in *Hist. Literar. Secul. Apost.* pag. 5. P. II. ubi ait: *Petrum Romæ fuisse, sedemque in ea aliquandiu tenuisse cum toto antiquorum Cœtu intrepide affirmamus.*

Deo cæteris omnibus Pontificibus ſuperiorem. Scilicet: *Voluntas Dei, quam in ipſo facto videmus. Neque enim ſine voluntate Dei in hanc Monarchiam venire unquam potuiſſet Romanus Pontifex. At voluntas Dei, quoquo modo fuerit nota, cum reventia ſuſcipienda eſt, ideoque non licet temere Romano Pontifici, in ſuo primatu reſiſtere* (1). Hæc quippe ratio quum eos etiam, qui ſolo rationis lumine ducuntur convincere apta ſit, illud etiam inde ſequi neceſſe eſt: Nempe Regimen Romanæ Eccleſiæ optimum eſſe omnium ad gentes, populoſque univerſos in tranquilla pace continendos. Nullum enim ab orbe condito Imperium, huic ſimile in Authore, in legibus, in conſtructione, in incrementis, in amplitudine, in dignitate, in veneratione, in authoritate, in potentia, atque in diuturnitate hactenus extitit; ac proinde quicumque in eo humanis viribus virtutem, ac firmitudinem longe ſuperiorem non videt, eum nec hominem quidem, ratione utentem, facile dici poſſe crediderim.

XLI. Unum ergo illud refellendum ſupereſt, quod increduli nobis opponunt, quum mendacii nos inſimulant, quia concordiam habere invicem prædicantes, hanc nihilominus nuſquam inter nos facile eſt reperire. Siquidem



(1) Martin. Lutherus *in Reſolutionibus aliquar. Propoſ.* apud Nardium *in Expunction.* 1.

dem in populo, & plebe assidua dissidia. Inter doctores controversiæ, ac doctrinarum oppositio. Inter Ecclesiæ ministros ambitiosa certamina, ac contentiones de præeminentia. Inter Reges ac Principes nostros bella fere perpetua, ac cruentissima ita, ut etiam ii, qui in medio sunt, diuturna pace frui minime queant. Quid ergo? Num ista hæc Pontificii, atque Ecclesiastici regiminis vitia sunt, & non potius depravatæ naturæ humanæ molimina, quibus leges sanctissimas perversi homines conculcare nituntur, aliis contra, eis tutandis validissime resistentibus? Nonne prædixitChristus *necesse est, ut veniant scandala*(1)? Nonne iteravit Apostolus *oportet & hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant* (2)? Ubi malis resistunt boni, ibi discordia virtutem auget, non extinguit. Tunc solummodo de virtute actum est, quum perversi inter probatos commixti mutuo sese promovent, ac fovent; quod ne in Ecclesia contingeret, inter eos *non pacem in terris* (3), *sed gladium mittere venit* Dominus, & quos concordes reperit in Babylonico (4) illo ædificio construendo, immissa linguarum varietate, toto dissociavit universo: quos inter, qui Deo per fidem adhæserunt; etsi tantopere dispersos, una potuit

(1) Matth. XVIII. 7.
(2) I. ad Corin. XI. 19.
(3) Matth. X. 34.
(4) Gen. II. 7.

tuit copulare Religio, cujus decretis si membrum aliquod obtemperare renuerit, statim a corpore separatur, nec nisi acta pænitentia, ac recantata palinodia, inseri in illud unquam patitur caput hoc, quod Rempublicam istam vice Christi gubernat. Qui enim vocem ejus non audit, nobis, jubente Deo, *tamquam Ethnicus est*(1), *& Publicanus*. Quam quidem vocem non, veluti ex echo, infide sæpe, non raro obscure, immo fere semper varie ex ore cujuscumque hominis recipimus, sed tunc tantummodo, quum ex D. Petri cathedra egreditur, & in publicis tabulis excepta, omnibus ubique prostrant fidissima ejusdem dictata. Si adversus ea adversarii nostri habent quid reprehendant, quid castigent, quid reforment; id in medium proferant, nec dubitent, quin responsa, si vera audire voluerint, iis omnino, semperque conformia, quæ a Christo, & Apostolis accepimus, daturi simus. Nos enim more majorum, *indicantes* eam, *quam habet Ecclesia Romana ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum, pervenientes usque ad nos, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præter quum oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt* un-



(1) Matth. XVIII. 17.

*undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis traditio est* (1); ad quam cum Irenæo, eximiæ sanctitatis viro, ac Martyrii corona redimito, a secundo Ecclesiæ sæculo hostes nostros provocamus.

XLII. Interea, ut unde discessimus revertamur, Augustino duce (2): *In hac colluvie morum pessimorum, & veteris perditæ disciplinæ, maxime venire, ac subvenire debuit Cælestis authoritas, quæ voluntariam paupertatem, quæ continentiam, benevolentiam; justitiam, atque concordiam; veramque pietatem persuaderet, cæterasque vitæ luminosas, validasque virtutes: non tantum propter istam vitam, honestissime gerendam, nec tantum propter* CIVITATIS TERRENÆ CONCORDISSIMAM SOCIETATEM; VERUM ETIAM PROPTER ADIPISCENDAM SEMPITERNAM SALUTEM, ET SEMPITERNI CUJUSDAM POPULI CÆLESTEM, DIVINAMQUE REMPUBLICAM, CUI NOS CIVES ADSCIVIT FIDES, SPES, CHARITAS. Horum vinculorum ultimum inter Catholicos etiam sæpe laxari, ac frangi, quis est, qui negare possit? Primum tamen, & secundum semper sarctum, tectumque manere, unde ad tertium regressio per pænitentiam fiat, neminem ignorare patimur; ac invicem quotidie hortamur, precamurque omnium

(1) S. Iren. *III. Cap. III. advers. Hæres.*
(2) August. Epist. IIII. vet. edit. Paris. ad Marcellinum.

nium bonorum datorem Deum, ut quæ a nobis male acta sunt, divinis deleamus auxiliis, nec aliquando in posterum eadem perpetrari permittat. Illa itaque, quæ nobis obiiciuntur, quoties charitatem scindunt, Ecclesiæ unitatem non tollunt; sed ejus potius firmitatem ostendunt, quam nec hominum vitia frangere potuerunt, nec tam longo temporis intervallo labefactare. Religio enim sancta internis, externisque nexibus hoc mysticum corpus suo capiti arctissime, atque firmissime copulat, & ab eo in universa membra uberrime derivat. Internis quidem ea invisibili conglutinat, visibili vero externis, donec in sinu militantis Ecclesiæ fovemur, quæ iccirco *sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti*, similis esse a Domino dicta est, ut notum esset, ad eum spectare inter illos discernere, qui *Piscator* (1) *hominum*, a Christo præ cæteris constitutus est.

XLIII. Et quidem heic considerare parumper juvat, quid hac de re nos docuerit cælestis Præceptor è Petri Naricula, quam unice conscendisse legimus, & ex qua primum jussit sagenam aquis committi. Verba ejus, quibus ex ea Turbas instruxit, ab Evangelista reticentur; factis itaque est auscultandum. Nam ut ad rem Augustinus ait (2); *Verbum*



(1) Luc. v. 10.
(2) August. Serm. v. de Diversf. Cap. 1. extr.

*Dei est Christus, qui non solum sonis, sed etiam factis* loquitur. Is propterea ut primum fari cessaverat, ad Petrum conversus (1), *Duc*, inquit, *in altum & laxate retia vestra in capturam*. Duas in eodem mare visas a Domino fuisse Naves (2) in Evangelio legitur; sed ea solummodo, quæ Petri erat, a Christo eligitur, cui etiam dumtaxat expeditio demandatur, quamquam Petrus respondeat: *Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus*. Sed spe plenus statim subdit: In *verbo autem tuo laxabo rete*. Quis heic non intelligit, in hisce duabus naviculis adumbratum duplicem fuisse populum (3), credentium videlicet, ac incredulorum, antiqua fratrum, dissentione divisum (4), ac iterum per Fratrum [5] concordiam ad societatem revocandum? Hi quidem ignorantiæ, errorumque tenebris obcæcati, longa quingentorum (6) supra quinque millia annorum nocte in hujusce vitæ pelago jactati, in aere potius quam in mari piscabantur, & iccirco quamquam multi laborant, frustra tamen; verbo veritatis abjecto

(1) Luc. v. 4.
(2) Ibidem vers. 2.
(3) S. August. ubi supra Cap. III.
(4) Intellige non solum Cainum, & Sethum verum etiam Semum, Chamum, & Iaphetum, a quibus Gentium divisio processit, de qua Diss. XXII. Cap. II. §. I., & II. agimus.
(5) Petrum scilicet & Andream, Jacobum, ac Johannem quos Dominus ex hisce naviculis vocavit Matth. IV. 18.20, Marc.I.16.18.
(6) Hæc est æra, qua Lactantius Christi Domini Nativitatem ab orbe condito consignat. Vide Diss. paullo supra indicatam Cap. II. §. VII.

jecto, rete jaculum noctu, diuque mittebant, ut deperditam bene ducendæ ætatis rationem evocarent. Vix vero divino eloquio fretus mare altum ingressus retia pandit Apostolorum Princeps, jam prædæ magnitudine reticula dirumpuntur, & navis ipsa periclitatur. *Hæc* (1) enim ut Ambrosius ait, *Est illa navis, quæ adhuc secundum Matthæum* (2) *fluctuat, secundum Lucam repletur piscibus, ut & principia Ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberantis agnoscas*. Quamobrem facile putem, Ecclesiasticæ historiæ peritum interprete non indigere, ut cætera, quæ ibidem narrantur, comprehendat. Adeo namque plana sunt, & aperta, ut meminisse sufficiat sub Tiberio Cæsare duobusGeminis Consulibus[3] Christi Domini mortem contigisse, ac in senatu ab ipsomet Imperatore (4) relatum esse de eodem inter Deos cooptando, nec non publico edicto (5) mortem Christianorum falsis accusatoribus intimatam. Sedem Jerosolymitanam a Jacobo, & Antiochenam (6), ubi primum Christiani dicti fuimus, a D. Petro fundatam. De Gentium vocatione ob cælitus



(1) S. Ambr. In Luc. L. IV. Cap. V. Seg. 5.
(2) Matth. VIII. 25. Marc. IV. 40.
(3) Lact. vide Diss. nostram XIII. Art. V. §. 1.
(4) Tertull. Apolog. XXI., Euseb. H. E. L. II. Cap. II., Aliique.
(5) S. Hierony. in Version. Latin. Chron. Euseb. ad A.C.XXXVI.
(6) Act. Apost. Cap. XI. 26. seq.

eidem jussionem factam Jerosolymis (1) primum Petro proponente actum, Antiochiæ deinde de legalium præsertim adimplemento (2) Petrum inter & Paulum acriter disceptatum; demum quid liceret statutum, ratumque fuisse, ac unanimiter observatum, donec toto fere orbe ab Apostolis peragrato, ac præcipue hac Universi Imperii sede occupata, ex cunctis sub Cælo gentibus Ecclesiæ retia ingenti hominum præda complerentur. Valida interea exoritur persecutionis procella (3): turbantur Nautæ cum a perfidis Judæis, tum a Gentibus incredulis. Magistratus, & Principes in eos fasces, & arma distringunt, & navis ipsa Petri jam sanguine madet Apostolico. *Quum jam Nero imperaret*, inquit Lactantius (4), *Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad justitiam*, DEOQUE TEMPLUM FIDELE, ET STABILE COLLOCAVIT. *Qua re ad Neronem delata, quum animadverteret non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu Idolorum .... primus omnium persecutus Dei servos, Petrum Cruci adfixit, & Paulum interfecit*, eadem quidem die,

(1) Ibidem a vers. 2. & xv. 6 seq.
(2) Ad Gal. II. a vers. 9. Diss. xxx. Cap. II. §. II.
(3) Matth. VIII. 23. Marc. IV. 37. Luc. XVIII. 22.
(4) Lact. de Mort. Persec. Cap. II. a Seg. 5.

die ; in eadem Urbe , quamquam diverſo loco , ac mortis genere (1) .

XLIV. Heic jam cerno Petri Navim in altum perveniſſe , non ſolum quia ipſe , pedibus *in ſublime*(2)*elevatis*, crucifixus moritur,ut e culmine Romanę Sedis ad Cęleſte regnum aſcenderet, ſed etiam quia divinum Oraculum illud impleri nunc video , quod Evangeliſta teſte a Chriſto Domino prolatum fuit [3] *ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum ipſe Petrus* : nimirum [4] : *quum eſſes junior cingebas te , & ambulabas ubi volebas : quum autem ſenueris , extendes manus tuas , & alius te cinget , & ducet , quo tu non vis* . Memini enim Chriſtum eum compuliſſe , ut in altum navem duceret , quo Petrus (5) noluiſſet , quemadmodum recuſaverat occidere , ac manducare immundas animantes, ſub quarum figura Gentilium errores,ab ipſo conterendos præmonſtraverat Dominus (6) . Jam ipſum video cinctum funibus , expanſiſque manibus cruci adhærere , mihique audire videor propheticam vocem: *veni in altitudinem Maris , & tempeſtas demerſit me* [7] . Sed demerſit, ut impleret ,

(1) S. Hierony. de Viris illuſtr. Cap. v. Martyrol. omnia ad diem xxix. Junii , ubi vide Baron. Florentin. ac Georgii notas .
(2) Hierony. ubi ſupra .
(3) Jo. xxi. verſ. 19.
(4) Ibidem verſ. 18.
(5) Lucæ v. 4.
(6) Act. Apoſt. x. 13.
(7) Pſal. LXVIII. 3.

ret, non ut perderet: quemadmodum retia mergi solent in salo, in quo Petri ratis ita agitata apparet, ut vix locum inveniat, quo se tuto recipiat. Nunc intelligo quare ipse Urbem hanc nostrum (1) Bubylonem appellaverit (2). Ascensurum enim *super Babylonem mare, & multitudine fluctuum ejus* operiendam fore, prædixerat Jeremias. Nec Apostolicæ prædicationis ævo Babylone aliqua *Ecclesia coelecta* fuit, sive ad Euphratem, sive ad Tigrim in Chaldæa, aut contra Memphim in Ægipto, aut in Lybia, ubi cognominem Urbem posuit Eustathius (3). Ideoque merito veteres omnes, allegorice Babylonis nomine Romanam Urbem, a D. Petro indicatam, dixere; [4] Ibidemque furens persecutionum tempestas diu Petri navigium vexavit. Ecce in illud alter Nero (5), ceu turbo rapidus omnia vastans, insurgit. Postea Decius, inde Valerianus, mox Valentinianus, demum, velut agmine facto, Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus, Maxentius, Liciniusque dirissimis cruciatibus Christianos quaqua patet orbis premunt, dispergunt, spo-

(1) I. Petri v. 13.
(2) Jerem. LI. 42.
(3) Eustath. ad Dionys. Periegs. Cap. CXXXVI.
(4) Euseb. H. E. L. II. Cap. xiv. Tertullian. L. III. contra Marcionem C. xiii. Hieronym. L. II. contra Jovin. Adde Grotium Ad 1. Petri Cap. v. vers. 13. Aliosque interpretes ad eundem locum, & ad Apocalyps. xiv. 8. xvi. 19. xvii. 5. xviii. 2. seq. 19. 21.
(5) Domitian. intellige juxta Lact. de M. P. Cap.

ſpoliant, feriunt, occidunt, dilacerant. Navicula præterea non ſolum extrinſecus iſthæc patitur, verum etiam intrinſecus fluctibus operitur, quos concitant Hæreticorum anteſignani, a Simone Mago inſtituti, aut exemplo excitati. Nonnulli jam de Navi deſcendunt, alii projiciuntur, qui propriis viribus confiſi, iis, qui in navigio erant, inſu tabant, & huc, illacque adnatantes miſere jactabantur ab undis, atque ad ſcopulos adigebantur. In dies ſane ambitionis, avaritiæ, ac ultionis furor, ceu feri maris æſtus, magis magiſque in pectoribus quorundam accendebatur, & capti auribus, atque oculis, inter horrendos fragores conſternati, aut nihil ſtatuere poterant, aut quod ſtatutum fuerat, non diu manebat, omnia, proſcindente, aut rapiente ventorum rabie. Si aliquod dabatur reciprocandi animam breve intervallum ecce dum ſua quilibet repetebat officia, ea jam ab aliis occupata reperientes, fruſtra querelas deferebant; adverſariorum violentia prohibiti. Torpebant alii, ac ſtupentibus rigore animis ſe attollere minime poterant. Qui labore fracti ceciderant, ab aliquibus, ut conſurgerent adjuvabantur, ſed repellebantur ab aliis: immo principes quidam eorum (1) *in limo profundi* infixi ſunt: inter quos caſus me terrent Tatiani, Tertulliani, Origenis, Hoſtii Cordubenſis, ac Luciferi Ca-

(1) Pſal. LXVIII. 3.

Calaritani, quoties tantorum virorum nomina ad aures meas perveniunt, vel eorundem labores recolere mihi contingit. Explorantur retia, & jam discissa noscuntur; Novatianus enim, incentore Novato, primus Anti-Papa a tribus Episcopis per fraudem ordinatus, adversus S. Cornelium, legitimum D. Petri ad navis gubernium successorem adscitum, extans; eum a clavo depellere ferociter contendebat. Postea deinde Donati duo, alter altero pejor, retium scissuram in duas jam partes diviserunt, & præter quam in propria, aliis omnibns salutem denegabant. Tandem Meletius, & Arius e sinu æterni Patris filium ipsum consubstantialem, Ecclesiæ Sanctæ Caput avellere incredibili contumacia ausi sunt.

XLV. Clamabant interea (1), *& raucæ factæ erant fauces fidelium Christi in Petri navicula, & oratio fiebat sine intermissione* (2) *ab Ecclesia ad Deum pro eo*, dum *servabatur in carcere*. Dicebantque Christo cum Apostolis: *Domine salva nos perimus* (3). Et ille! *Et ipse erat in Puppi super cervical dormiens* (4). Sed somnus iste, quem sua sponte sibi induxerat Jesus, magis Ecclesiæ profuit, quam discipulorum, fideliumque omnium vigilantia. Somnus enim iste locum fecit

(1) Psal. ubi supra vers. 4.
(2) Act. Apost. XXII. 5.
(3) Math. 8. 23.
(4) Marc. IV. 38.

fecit multiplici prodigiorum examini, quibus trepida Christianorum pectora roborata sunt; Prima, ac suprema Romanæ Sedis in universum orbem authoritas firmata; singulis tam Ecclesiastici, quam Civilis ordinis Antistitibus officia erga eam imperata: Unitas Ecclesiæ sub uno visibili capite æternum munita: Credentium fides confirmata, & quale deinceps futurum esset totius Ecclesiæ Catholicæ regimen, status, Oeconomia, statutum, atque declaratum fuit. Siquidem quemadmodum Christus discipulorum precibus expergefactus a somno, ventis, ac fluctibus cessare jussis (1), mari simul, & illorum cordibus maximam dedit tranquillitatem: sicuti Petrum, mergi incipientem dextera porrecta erexit, (2) & ad se super aquas siccis pedibus ire jussit, (3) atque tam magna (4) præda donavit, ut ambas implere posset naviculas. Sic quarto ab eo tempore, ineunte sæculo, *quartæ noctis vigiliæ* (5) exacte respondenti, ea quæ prædixerunt partim adimplevit, partim in dies se impleturum esse, declaravit. Tunc quippe quum maxime inter omnes persecutionum, Schismatum, hæresumque Petri navis agitaretur procellis, fide-

(1) Matth. 8: 23. Marc. IV. 36. Luc. VIII. 23. seq.
(2) Matth. XIV. 25. Marc. VI. 47. Jo. VI. 16. seq.
(3) Ibidem, & Jo. XXI. 7.
(4) Luc. V. 7. Jo. ubi supra vers. 7.
(5) Matth. XIV. 25.

delium suorum preces audivit Dominus, & *restituta per orbem tranquillitate profligata nuper Ecclesia rursum emergit, & majore gloria Templum Dei, quod ab impiis fuerat eversum, misericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus Principes, qui Tyrannorum nefaria, & cruenta imperia resciderunt, & humano generi providerunt, ut jam, quasi discusso transacti temporis nubilo, mentes omnium pax jucunda, & serena lætificet. Nunc post tantæ tempestatis violentos turbines placidus aer, & optata lux refulget. Nunc placatus servorum suorum* (precibus) *Deus jacentes, & afflictos cœlesti auxilio sublevavit. Nunc mærentium lacrymas, extincta impiorum conspiratione, detersit*(1). Hactenus Lactantius temporum illorum scriptor disertissimus.

XLVI. Tunc namque quum jam e manibus morituri parentis Imperii clavum recepisset Constantinus: vere nomine Magnus, pietate Maximus, Romam, divinæ crucis signo, solaribus radiis coruscante, cælitus accitus, eo mira celeritate se contulit, & eximia remigum Apostolicorum virtute, ac inaudita Gubernatoris arte, qui tandiu periclitantem Petri naviculam, pondere depressam, ac fluctibus afflictatam, servaverat incolumem, ponderis sibi traditi parte intra regiam navem su-

(1) Lact. de Mortib. Persec. Cap. 1. a Seg. 1.

ſuſcepta, manus illi præbuit adjutrices, totque, tantisque officiis hæc duo navigia conjuncta ſunt, ut dum Pontificiam Imperatoria protegebat, hæc ab illa regi ſimul, ac impleri meruerit. Quemadmodum enim Imperator tutelam Eccleſiæ contulit, ſic iſta a Cæleſti ſponſo ſuis precibus impetravit, ut ſciſſum undique in plures partes totius orbis imperium, deletis tyrannis, qui illud dilacerandum potius, quam regendum uſurpaverant, ſolus Conſtantinus obtineret, qui eo ſuſcepto, *nihil egit prius, quam Chriſtianos cultui, ac Deo ſuo reddere. Hæc fuit prima ejus ſanctio, ſanctæ religionis reſtitutæ* (1).

XLVII. O verba non tantum aureis, ſed adamantinis quoque characteribus, vel eo, ſi quid eſt adamante ſplendidius, durius, ac pretioſius conſignanda! Ut nemo unquam ignorare poſſit non de ſuo Conſtantinum aliquid Eccleſiæ dediſſe, ſed cultui, & Deo ſuo reddidiſſe Chriſtianos. Reſtituit Religioni ſanctæ quod illi fuerat ablatum, non aliquod contulit, quod fuiſſet nuper inventum. Quamobrem quicquid ab hiſce temporibus *univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica authoritate traditum rectiſſime creditur*, ut ſcite de more judicavit Auguſtinus (2). Hactenus enim tempeſtati, ac

(1) Lact. ubi ſupra Cap. xxiv. Seg. 9.
(2) S. Auguſt. L. IV. de Bapt. contra Donatiſt. Cap. xxiv.

ac tumultui ita obſequi neceſſe fuit, ut non ſolum plurima intermitterentur opera, quæ continuatione rerum novarum compleri non poterant, verum etiam nullus extitit, qui aut omnia noſcere, aut enarrare ſufficeret, quum nemini ſuum diu tutari locum, aut quid eſſet conſilii uſurpandum libere explorare daretur. Hoc unum certo ſcimus, ac intrepide prædicamus, primum non fuiſſe Magnum Conſtantinum, qui præclaras, magnificaſque Baſilicas (1), auro, gemmiſque ornatas, aliaque commoda, & facultates, quibus ſacra conficere ſolenne eſt Catholicis, ſemperque fuit, divino cultui a fundamentis poſuerit, atque ſplendida ſupellectili donaverit. Reſtituit ipſe quidem, auxit, geminavit, non primus invexit. Extabant ante eum Templa magnifica (2), in Templis Altaria, & in iis divinum ſacrificium Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis, & vini, Deo Patri, ac Triadis individuo Senatui a Sacerdotibus quotidie offerebatur. Sub Altaribus ſervabantur Sanctorum martyrum, ac Confeſſorum oſſa, & cineres, fidelium venerationi expoſiti. Crucis adoranda imago ſemper in Altari a temporibus Apoſtolicis aſtitit, & cætera omnia, quæ ſub introducta IV., vel V. Eccleſiæ ſæculo ab Hæterodoxis dicuntur, & tam-

(1) Vide Optat. Milevitan. Diſſ. XXXII. Cap. IV. & ſeq.
(2) Idem ubi ſupra.

& tamquam superstitiosa Ecclesiæ Romanæ specimina temerariis oblocutionibus traducuntur: restituta porro, palamque exercita post Constantinum ac libere agitata asserimus; primum tunc inducta, non solum negamus, sed imposturam esse manifestam, ostendimus locis ad hoc destinatis (1).

XLVIII. Illud tamen heic præterire non possum, quod & Magni Constantini erga Romanum Pontificem demonstrat obsequium, & Romano Pontifici MAXIMUM ante Constantinum asserit SACERDOTIUM. Ille enim Augustino (2) teste, vix catechumenus, *non ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam, atque finiendam Episcopis delegavit, Melchiade, Apostolicæ Sedis Episcopo, præsidente*, ad quem una cum Cæciliano, suisque accusatoribus, etiam quæsitis ex Gallia Episcopis commeatum præbuit, adjunctis litterarum exemplaribus ad se ab Anulino, Africæ Proconsule missarum, *quas quum vestra Gravitas perlegerit*, inquiens Melchiadi, *exquisite ponderabit quo modo, quave ratione, illa, quam supra diximus, diligentissime dirimatur. Quandoquidem illud vestrum studium minime latet, me tantam reverenciam Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ tribuere, ut velim vos nullum generale schisma in ullo loco omnino re-*

 *lin-*

(1) Vide Diss. XXXII. Cap. III. & seqq. & Diss. XXXIV. a Cap. III.
(2) S. August. Epist. CLXVI.

*linquere* (1). Et quidem tanto Ecclesiasticæ tranquillitatis studio flagravit, ut Episcopis, quos regiis dapibus reficere in more habuit: aliquando diceret, Eusebio conviva narrante, *Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam Deo Episcopus constitutus sum* (2); ac propterea, tanquam fidelis Ἐπισκοπος, H. E. *explorator, curator, & custos*, ut primum Ecclesiæ lateri adstitit statim fungi suo cœpit officio. Quum etenim animadvertisset ex Pastorum discrepantia, ambitione, atque avaritia flagrantium, in universum Christi Gregem lupos, ovina pelle contectos, ovium, agnorumque stragem moliri, nec a supremo Pastore, tametsi constanti animo, ac summa virtute prædito, inferiores, dissipata compage diutius in officio contineri posse, ipse, authoritate sibi delegata, eos compescere, ac coërcere numquam destitit quatenus exterminatis Novatianis, deletis Donatistis, fractis Arianis, omnibusque eximium erga Romanam Sedem obsequii sui exemplum reliquit, & in primo Universali Concilio, quod Nicææ celebratum est CCCXVIII. Episcoporum, ex universo terrarum orbe convocatorum consessui, protector Ecclesiæ ita interesse meruit, *ut talem coronam solum ex omni præteritæ ætatis memoria unus*

(1) Epist. Constant. M. ad Melchiadem Rom. Pontif. apud Euseb. H. Ec. L. X. Cap. LV. Adde Optat. Milevit. L. I. Contra Parm., & August. Epist. CLXVIII. antiquæ edit.

(2) Euseb. in vita Const. M. L. IV. Cap. XXIV.

*unus Imperator Constantinus, pacis vinculo devinxerit, & quo Servatori suo gratias ageret istud eximium victoriæ ab hostibus partæ monumentum obtulit, effigie chori Apostolici pulchre in hoc nostro conventu expressa* [1]. Uti Eusebius testatus est. Immo ne dici, aut credi posset, Romanam Ecclesiam præeminentiam ab Imperatoria Sede mutuasse, urbe relicta, Byxantium se contulit, ibidemque divino nutu aliam, huic similem construxit, quam & novam Romam appellavit, & Imperii sedem constituit [2].

XLIX. En quomodo totius populi Christiani compago in unum iterum postquam reddita est Ecclesiæ tranquillitas coivit, & Apostolica retiacula, quæ multitudo disruperat, ambitio disciderat, & irarum furor dilaceraverat, Imperatoris auxilio, Episcoporum opera, Romani Pontificis cura, sarta fuerunt, ac intra Petri Naviculam cum ingenti præda feliciter ita redacta, ut Imperator ipse dum Navis illius Gubernatori cessit, suum quoque Navigium, nova præda onustum, ad portum unde illa discesserat, faustissime ductum tandem aliquando conspiceret, lætareturque per sulutarem lapsorum pænitentiam intra Ecclesiæ Catholicæ gremium multitudinem illam sub uno visibili capite esse compositam, quam piis-



(1) Eufeb. L. III. de vita Constant. Cap. VII.
(2) Sozom. E. H. L. II. Cap. II.

piissima mater, potestate clavium adhibita, per indulgentiam Deo reddidit, ac sanctæ ejus Religioni restituit. Qui ergo discrepantiam oderunt, & damna noscunt, quæ ex illa quotidie emergunt: Si unitatem, si concordiam, si societatem, ac universalem vere optant sub uno rectore, a Deo manifestissimis indiciis protectam rempublicam, sine qua quiete, ac tranquille homines in terris vivere non posse comprehendunt, eo pænitentes redeant, unde parentes eorum superbi discesserunt. Scit enim Sancta mater Ecclesia non solum vulnera omnia, quibus est imbecillitas humana obnoxia, salubriter curare, verum etiam discissa, lacerata, abjecta membra ad pristinam integritatem vigenti corpori restituere. Nam si bene meminerint ipsismet duobus plus, minus ab hinc sæculis contigit, quod Novatianis, Donatistis, & Arianis ante mille ultra tercentos annos contigerat. *Fuerunt* enim, ut Lactantius ajebat, *quidam nostrorum, vel minus stabili fide, vel minus docti, vel minus cauti, qui discidium facerent unitatis, & Ecclesiam dissiparent; sed ii, quorum fides fuit lubrica quum Deum nosse se, & colere simularent, augendis opibus, & honori studentes affectabant* MAXIMUM SACERDOTIUM, *& a potentioribus victi, secedere cum suffragatoribus suis maluerunt, quam eos ferre præpositos, quibus concupierant ante præponi;*

Con-

Consulant tertii labentis, ac quarti ineuntis Ecclesiæ sæculi annales, eosque conferant cum iis, quæ historiam recitant decimi quinti, & sequentium genuinam, & nosse poterunt, si velint, quam apte iis quadrent quæ a Lactantio dicta sunt. Tunc primum schisma Novatiani. Nunc postremum Novatianis Wicleffistæ, & Ussitæ, Donatistis Lutherani, Arianis Calvinistæ, Zwingliani, Socinianique ex ungue respondent, eosque imitantur. Ad Novatianum usque unus semper extiterat in Romana Sede, qui MAXIMO in Ecclesia Dei fungeretur SACERDOTIO, non solum Lactantio teste, sed etiam ipso Tertulliano(1), cujus exemplum postea imitati sunt Wicleffus, & Lutherus. Sicuti enim ille de S. Zephirino dixit. *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem perentorium*: PONTIFEX *scilicet* MAXIMUS, quod est EPISCOPUS EPISCOPORUM &c. Sic isti, primus quidem Urbanum VI., secundus vero Leonem X., Romanos Pontifices, D. Petri in Pontificatu Maximo successores, veros esse professi sunt. Et quemadmodum ille antequam Montani hæresim adoptasset, tamquam ad judicem supremum provocabat hæreticos ad Romanæ Ecclesiæ judicium, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt* (2). Sic isti antequam damnarentur, hanc eandem verita-



(1) Tertull. de Puduc. C. I.
(2) Tertull. de Præscript. Hæret. Cap. xxxvi.

tis magiſtram appellabant, quam poſtea rebellantes, ac odio implacabili furentes *cathedram peſtilentiæ*, *& Satanæ Synagogam* eſſe cum Donatiſtis ſpiritu diabolico urgente dixerunt. Novatiani, ac Donatiſtæ Eccleſiam lapſis indulgere poſſe negabant, Lutherus ab indulgentiis impugnandis ſuæ pravitatis duxit exordium.

L. Hoc unum primam inter ac ſecundam hanc Eccleſiæ ſciſſuram intercedere videtur diſcrimen, quod illa ope Romani Imperatoris ſæculum integrum perdurare non potuit; hæc Henrici VIII., Angliæ Regis, deplorando lapſu major facta eſt, & ad tertium jam extenditur. Dormit adhuc in puppi Pontificiæ Navis Reparator noſter, ſed tandem excitabitur, *& unum ovile fiet, & unus Paſtor* (1), univerſum Gregem ad caulas dominicas perducet; nec ſpes me fallit ſi hoc brevi futurum conjicio, quum Te, Pater Beatissime, in hac Petri Sede conſtitutum cernam, quem Cypriani verbis apprime, ingenueque in S. Cornelio adumbratum, Novatianorum imitatoribus aptiſſime poſſim oſtendere, ut ab errore, quo detinentur capti, aliquando reſipiſcant. De Te quippe S. Martyr mihi fari videtur, quum de S. Cornelio ad Antonianum ſcribebat (2). *Non iſte ad Epiſcopatum ſubito pervenit*, *ſed*

(1) Jo. X. 16.
(2) S. Cypr. Epiſt. L. II. novæ edition.

*sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus ad* SACERDOTII SUBLIME FASTIGIUM *cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulavit nec ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, & invasit; sed quietus alias, & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis continentiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi, & custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut* EPISCOPATUM *coactus exciperet.* Quare quis nisi dementissimus dubitet, quin hæc, in qua Magister Sedes Ecclesia illa sit, de qua Lactantius ait (1), *Hoc est domicilium fidei: Hoc templum Dei, quod si quis non intraverit, vel a quo si quis exierit, a spe vitæ salutis æternæ, alienus est.*

LI. Sed quamquam hæc ad evidentiam facile reduci queant, ii tamen, qui sæculi Genium sequuntur, ea prætereunt, & cum delirante Democrito in imo puteo, quasi demersam, investigandam adhuc esse dicunt veritatem, non autem e Cælis, tamqnam revelatam, demonstratamque suscipiunt. Ajunt siquidem: *Tamet si mentis humanæ acies in supernis perscrutandis hebes sit; lux tamen est, quæ quamvis*



(1) Lact. L. IV. Cap. ult.

*vis in hoc corpore existens non ita clare resplendeat, sicuti Spiritus, ab omni materiæ fæce depuratus, splendorem nihilominus suum satis coruscantem ita emittit, ut si quis ad intima putei descendat, ibidemque serio exploret, quid vere facto opus sit ad pacem, tranquillitatemque consequendam, cælum ipsum sibi patefactum in fundo illius conspiciet, quamquam eum in Cælis cernere nequeat, aut collocare*(1). En SANCTISSIME PATER, quomodo aversis a cælo frontibus ex una in aliam foveam sese injiciunt, ut magis magisque veritatis occursum defugiant, quum tamen eam summopere ubique gentium disquirere videri velint. At etiam illuc Lactantio nostro duce eos persequimur (2). *Quid est enim, cur eam potius in imum depressam diceret, quam in summo levatam? Nisi forte mentem quoque in pedibus, aut in imis calcibus constituere malebat, potius quam in pectore, aut in Capite! Adeo remotissimi fuerunt ab ipsa veritate, ut eos ne status quidem sui corporis admoneret, veritatem in summo illis esse querendam*. Solem enim in pectore gestat (3), *& a summo Cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus*. Inde quidem (4), *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo*

(1) Traitè de la Raison. Hum. pag. 6:
(2) Lact. L. III. C. XXVIII. Seg. 13.
(3) *Psal. XVIII.* 7.
(4) Sapient. XVIII. 14. *in Version.* LXX.

*suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de Cælis a regalibus sedibus venit*. Sed quum mundus (1) eum non cognoverit, non receperit, non coluerit; Is, qui (2) *via*, *veritas*, & *vita* est, in crucem se leuari passus, palam tunc primum mortalibus obtutibus nudam veritatem ostendit, ut ad insolitum saltem spectaculum hi oculos discerent in altum extollere, neque in terris extra cucem se eam sic expositam unquam inspecturos esse sperarent, nisi quum ad manifestanda opera eorum redierit, præmia, ac pænas hominibus, uti meruerint, collaturus (3).

LII. Ideo quippe in Cruce Rex, ac Reparator noster Jesus Christus manus extendit, *orbemque dimensus est, ut jam tunc ostenderet, ab ortu solis usque ad occasum magnum populum ex omnibus linguis, & populis congregatum sub alas suas venturum*, signumque illud *maximum, atque sublime frontibus suis suscepturum*. Hoc divino charactere insigniti fideles Christi, perditum illum *Leviathan*, Sæculi Genio larvatum, imperio, ac tyrannide, facile, si velint, exuere valent, & veritatem, discussis errorum tenebris, queis ab illo nebulone opprimuntur, liberis mentibus in Ecclesiæ catholicæ sinu conspicere pote-

(1) S. Jo. I. 10.
(2) Idem XIV. 6.
(3) Matth. XXIV. 30. seq.

terunt, ac amplexari. Qui F*ortium ſpirituum* nomine gaudet præ cæteris celebrari, huc accedat, arma veſtiat divino ſtemmate decorata, & pugnet, ut Chriſti militem decet, ſitque de victoria ſub tanto Duce ſecurus, quoniam nequiſſimi ſpiritus, quibuſcum bellandum eſt (1), *Neque accedere poſſunt ad eos, in quibus cæleſtem notam viderint, nec eis nocere, quos ſignum immortale munierit*: Ut Lactantius noſter opportune docuit, atque adverſus incredulos proſecutus eſt: *Quos profecto ſi eſſe confiteantur, vicimus. Neceſſe eſt enim, veram eſſe hanc religionem, quæ rationem Dæmonum novit, & aſtutiam intelligit, & vim retundit, & eos ſpiritalibus armis domitos, ac ſubactos cedere ſibi cogit.*

LIII. Erant tunc profecto, qui malos ſpiritus omnino eſſe denegarent, quos tamen refellere, ſe facile poſſe teſtimoniis Poëtarum, ac Philoſophorum, bene putavit Lactantius, quum Ethnicos eſſet adortus, qui hujuſmodi teſtibus ſolummodo fidem ſuam accommodabant. Ego vero, ſi quis eorum exiſtentiam, ac ſalutiferæ Crucis ſignum, adverſus eoſdem maxime validum eſſe, pernegaverit, Authoris noſtri fidem oculatam oppono, quum de Deorum cultoribus ſuorum temporum ſacrificantibus loquens, dixerit (2): *Quum diis ſuis im-*

(1) Lact. L. IV. Cap. XXVII. Seg. 8.
(2) Lact. ubi ſupra Seg. 3.

*immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant* (1);

*Nec responsa potest consultus reddere Vates.*

Vim hanc Crux sancta non amisit; sed etiamnunc ubique gentium retinet. Idem namque idololatris contingere, qui adhuc in orbe supersunt, nuper a nostris, sancte id asserentibus, audivi, qui ex India redierunt. Verum quidam inter hodiernos Philoscios esse dicuntur, qui virtutem hanc non sanctissimæ Crucis signo tribuendam esse volunt, sed symbolico illi signaculo, quod Ægiptii olim Serapidis manibus adjungebant; Kabbalistæ postea, & mox Valentiniani, ac Gnostici omnes maximi fecerunt: utpote quod mysterii plenum esse jactabant, & vel in Crucis ansatæ modum vel in Tau formam, seu in expansam arborem figurabant; qui tamen, si vera noscere voluissent, hujusmodi notarum imagines inde originem suam accepisse deprehendissent, unde primum figura Sanctæ Crucis, ac illius, qui in ea pro nobis moriens, vitam amissam humano generi reparavit, inducta est. Ex deserto(2) nimirum, in quo serpentis ænei imaginem super ligno, in Tau modum efformato, Moyses Deo præcipiente, erexit, ut qui eam a serpentibus ignitis percussi aspice-

(1) Ex Virgil. III. Georg. 491.
(2) Num. xxi. 8.

cerent, ſanarentur, & viverent. Quo facto denotabatur, quid Deus ipſe facturus erat, ut genus humanum, infernalis colubri veneno in ſua origine infectum, agni immaculati ſanguine, in crucis ara immolandi, tempeſtivam curationem reciperet, & Draconis caput contereretur. Unde veritas ipſa teſtata eſt *ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* [1]. Quum ergo ex vetuſtiſſimis illis temporibus ſalutare ſignum illud futurum indicaretur, ſenſim vitio Judæorum, ac malignorum ſpirituum fraude, in ſuperſtitionem primum, deinde in manifeſtam apud Ægiptios idololatriam converſus eſt cultus, eidem ſigno adhibitus. Dæmones namque inde mortalibus novam intentarunt cladem, unde illis parabatur remedium, eos inducendo ad adorandum ſignum illud futuræ ſalutis materiale, tamquam ſi id eſſet divinum Numen, ſeque illud timere ſimulabant, ut ſic & tuto nocerent, dum in eo ipſi colerentur, & homines eo præſidio exuerent, cui ipſi jam reſiſtere non poterant (2); quod ſuis locis demonſtraturi ſumus. Hæc nunc dixiſſe ſufficiat, ut innoteſcat unde hujus ſigni adulterinam imaginem complanatores hodierni deſumpſerint,

(1) Jo. III. 14.

(2) Vide Diſſ. xxvii. Cap. II. §. iv., & Cap. IV. §. i. Diſſ. xxxii. Cap. v. a §. i. ad vi.

rint, & quare in suo stemmate primum locum ei dederint sub mallei forma adumbrato, utpote *Omnium Hieroglyphicorum Principi*, (1) quum *ejus ope Angelum Razielem, maxima quævis mysteria* (2) edocuisse Adamum, eodemque Deum, Caini frontem, ne a quopiam occideretur, insigniri curasse, (3) Kabbalistæ somniaverint.

LIV. Ista vero, ut vanæ hominum fanaticorum opiniones, pro otiosis commentis, atque anilibus fabulis ab iis, qui cordatiores inter eos sunt, habenda, esse censentur. Sed facile mens eorum intelligi non potest, quum de spiritibus loquuntur, Nam ex una parte Dæmones integra fronte negare, non audent, ex alia vero infernales Genios a terris omnino amovent, & ab hominum negociis alienos prorsus asseverant. Imo quidam sunt, qui iisdem vim omnem in corpus quodcumque agendi, aut effectus quoslibet in materia producendi ea ratione denegent, quia eorum essentiam in sola cogitatione constituunt; adeoque certum, atque exploratum putant, nullo pacto in hæc inferiora posse illos agere, aut quicquam moliri (4). Quod si argumentis instare velimus, ac Dei spiritalem omnino essentiam, & quidem rerum omnium opificem, ad

(1) Vide Ath. Kirch. *OEdip. Ægypt. L. IV.* Hierogram. §. 1.
(2) Idem Hierogl. xx. §. 1.
(3) Rab. Eliezer. in Pirku Cap. XXI.
(4) Balth. asf. Becker. *In mundo Fasc.*

adstruere, statim reponunt (1), *se controversias de Religione aversari, et optime populo consultum fore, si scholasticorum dogmatum vice, æqui rectique præcepta, & cujusque imperii leges civiles publice recitarentur, quibus homines ad suum erga magistratus obsequium, mutuaque vitæ civilis officia formarentur* (2). Sic declinata argumentorum vi, ac methodo demonstrandi veritatem, refellendique errores relicta: posthabita non solum revelatione divina, verum etiam historiarum fide: dissimulata professione; simulato jurium civilium studio, ac humanarum literarum, bonarumque artium peritia ad apicem, ut stultissime ajunt, ultimæ perfectionis evecta. mirum sane esset si Religioni locus, ac tempus dandi operam remansisset. Quamquam mihi mirabilius equidem videatur homines extitisse, qui hisce adhibitis mediis Religionem tam sanctam, ac tam manifesto divinitatis charactere donatam, non ut Clodius e domo Pontificis Maximi (3) eripuisse dicerentur; sed ex domo Dei viventis eam pellere, ac loco illius mimos pietatis, ac æquitatis quocumque inducere dicerentur, & mendacem reddere veritatem tentarent, quæ Ecclesiam suam

(1) Hinc verba Relatoris Gottingensis, quæ §. VI. dedimus, deprompta esse, manifestum est.
(2) Anonym. in Elogio vitæ illius pag. 80.
(3) Cicer. *pro Domo sua*.

ſuam ad ſæculi uſque conſummationem, ſe non deſerturum, ſpopondit.

LV. Extitere tamen, nec ſolum hanc Eccleſiam defeciſſe tandem aliquando ſtultiſſime dixerunt Hæreticorum nonnulli, qui ſine vocatione, ſine Miſſione, ſed ſolius diaboli inſtigatione moti reformationem ejus, quam aptiſſime deformationem, ac depravationem fidelium dixeris, moliti ſunt; verum etiam *Pantheoſiam* ſuadere mortalibus per ſummam mentis perverſionem præſumpſerunt: videlicet, *concordiam omnium diſſidentium circa æternam veritatem, aut veriſimilitudinem verſantium, quæ non ſolum inter eos, qui hodie Infidelium, Judæorum, Hæreticorum, & Catholicorum nomine vocantur, orta ſunt, & vigent; ſed etiam ut admiſſis per peccatum tenebris, fuere inter Eccleſiæ peculiaris, ac communis membra*. Quo opere etſi cordatis omnibus non minus ridiculum, quam impium ſe præbuiſſet Poſtellus (1), non defuere tamen qui ſubſecutis temporibus viam inconſulti, ſceleratique conſilii, ad ultimum dementis, exequi poſſe contendentes, eadem fere paradoxa inter ſapientiæ arcana repoſuerunt. Diem obiit Poſtellus an. R.S. MDLXXXI. & ſeptem poſt annos in lucem venit diam (2) Tho-

(1) Confer. Samarthan. in Elog. Gall. L. III.

(2) Natus eſt Malmesburiæ, Agri Vviltonienſis, Nonis Aprilis An. MDLXXXVIII. Pope Blaunt *Cenſ. Celeb. Auth.* pag. 1043.

Thomas Hobbes, ac XI. dumtaxat post eum Oliverius [1] Cromwel, Philosophus ille, Politicus iste inter Anglos magni nominis. Antiquiora hac ætate in orbe Christiano vix semina quædam Pantheismi male jacta hinc inde conspiciuntur, quæ postea deinde in amplam satis farraginem extra Romanos fines, multiplici passim fœtu nunc aucta videmus.

LVI. Sed unde quæso hæc humanæ mentis depravatio, uberrimis deflenda lacrymis iterum erupit, sive potius vires, jamdiu fractas, resumpsit, nisi ex cogitandi libertate, & *ad sæculi Genium* se conformandi libidine? Quænam caussa fuit contumeliæ, atque exundantis odii contra leges sacratissimas, inconcussamque Religionem, nisi philosophandi ratio ista, quæ in rebus naturalibus disquirendis, scripturarum divinarum oracula, ac Sanctorum Ecclesiæ Patrum explanationes experimentis quibusdam, sæpe infidelibus, postponere suadet? Nemini eruditorum ignotum esse puto, ut sic ad totius Tragicomediæ caput aliquando redeam, quod paullo ante hos motæ mentis homines, viam in philosophicis novandis placitis aperuerat illa de Telluris circa immotum solem perpetuo gyro, tantis contentionibus agitata opinio; quam e Pythagoræ schola per Philolaum, Nicetam, atque Aristarchum, & Cleantem propugnatam, merito, tamquam vio-

(1) Natus Huntingdone prid. Idus April. MDXCIX.

violatæ Religionis ream, a Græcis, etiam Ethnicis, habitam fuisse tradunt historici (1). Hanc quum per modum puræ hypothesis ad syderalis scientiæ, ac Cosmographiæ theoremata explananda, & expeditius exponenda quidam præeunte Nicolao, postmodum S. R.E. Cardi-li Cusano, ab umbris Samiis excitassent Astronomi [2], ansam dederunt Nicolao Copernico, Canonico Warmiensi in Borussia, ut anno æræ communis *MDXXXVI.* eam non minore quidem ingenii vi, atque audacia, quam animi constantia, propugnaret (3), ac postea seu per modum thesis (4) adstrueret, divinarum scripturarum testimoniis præter Sanctorum Ecclesiæ Patrum expositiones, explicatis, atque suæ mentis cogitationi posthabitis; & quidem tanta quorundam suorum discipulorum temeritate, ut ipsam Sacram Scripturam, editis ad hoc commentariis, *Copernizantem* obtruderent, ac in vulgus spargere non erubuerint (5); Nec non Jordano Bruno, Copernicani Systematis admiratori (6), ut quæ obscurissima dicenda erant.



(1) Plut. de facie in Orbe Lunæ &c. pag. 447.
(2) Nicol. Cardin. Cusanus L. III. *de* Docta Ignorantia Cap. xi. Mersen. in Cap. I. Genes. 10. in soluc. ad xi. object. pag. 913.
(3) Vossius *de Mathem.* p. 187.
(4) Nicol. Fuller Miscell. Sac. pag. 94.
(5) Jo. Jacob. Zimmerm. in Actis Erud. Lipsiæ an. MDCXI. pag. 205. Vvolf. de Script. Math. C. ix. §. xxix.
(6) Jordan. Brun. *de Univers. L. III. Cap. IX.*

*Dogmata Priscorum priscis* clarissima *verbis*

*E fundo* erueret *tenebrarum* (1).

LVII. Hisce, similibusque velitationibus mentes hominum audaciores ita incaluerut, ut quemadmodum olim in Græcia contigerat, ad eosdem paradoxorum acervos extruendos per circulum scientiarum, intra cujus ambitum ingenia humana coercentur, redirent, ac, ut fieri solet, in errores longe majores impingerent. In primis quippe ex Copernicano Systemate Gulielmus Gilbertus suam philosophiam magneticam invexit, & terram *magnum magnetem*, & magnetem *Terrellam*, seu parvam terram, esse statuens, inde eam pendere a diurna circa proprium axem verticitate, quæ est in omnibus corporibus, statuit (2). Eadem Copernicanæ opinionis audacia in scripturis divinis posthabendis fretus Isaacus Peyrerius suam *de Præadamitis* delirationem se construxisse, fatetur Alexandro VII. Pontifici Max. hisce verbis (3): *Non dubitabam, siquidem existimaveram, P. S., quam verissima, & sanctissima docerni potuisse super hypothesi falsa. Quod pateret exemplo in Astronomicis comprobatissimo duarum hipothesium de motu Cæli, & Terræ; quarum altera cer-*

(1) Idem *de Minim. Cap. I. vers.* 151.
(2) Vide Gassend. in vita N. Copern. p. 331.
(3) Isaac Peyr. in Deprecat. ad Alex. VII. R. P. M. edit. Romæ MDCLVII. p. 6. seq.

*certissime falsa est*. Eidem illi principio suæ Philosophiæ, ac præsertim Physicæ, Machinam imposuit Renanus Cartesius, Mathematicorum sui temporis præclarissimus (1), qui proinde quum Leodii impressum legisset (2) edictum, quo certior est factus, systema illud, a Galileo deGalileis potissimum incredibili verisimilitudinis specie illustratum, paullo ante ab Ecclesia fuisse damnatum, adeo se territum profitetur, ut statuerit, omnia sua scripta comburere, propterea quod tota ejus Physica, ac philosophia ab illo pendebat. Petri Gassendi [3] postea exemplo forte permotus, ac S. Congregationis indicis decreto expurgatorio edoctus, quo stata fuerat Copernicanorum librorum correctio usque ab anno MDCXX., eam amplexus, incongruam esse opinionem illam declaravit (4): *Terram* inquiens, *proprie loquendo, reliquosque Planetas, non moveri, nec ullos Planetas, quamvis a Cælo transferantur: Quia non tranferuntur ex vicinia partium Cæli, ut immotæ considerantur. Quin nec secundum usum vulgi, nisi incongrue, motus de terra prædicari potest. Vulgus enim a terræ partibus, ut immobilibus spe-*



(1) Cartes. L. II. Epist. LXXX. pag. 253. edit. Amstedol. MDCLXXXII. Morhof Polyst. Tom. 1. L. 1. Cap. 2. n. 19.

(2) Hoc contigisse dicit idem Cartesius an. MDCXXXIII. Epist. LXXV. & XLIX.

(3) Gassend Tom. II. Oper. Edit. Lug. MDCLVIII., & Florent. MDCCXXII. L. I. Cap. I.

(4) Cartes. *L. III. Princip. de Mundo Aspectab.*

*spectatis, stellarum loca determinat, atque eatenus moveri judicat, quatenus a locis ita determinatis recedit*. Non ideo tamen suspicionem evasit, quod *Palpi Inquisitoribus obtrudendi gratia operose philosophicum fucum facere voluisse visus sit* (1). Immo de Cartesii mente si quis judicare velit, hæc cum aliis, ab eo statutis minime congrunt. Ex hisce fontibus proinde terram suam cæno potius obruere, quam aquis irrigare cogitavit Hobbesius, qui nec Gassendi, aut Cartesii retractationem, imitandam, ac Ecclesiæ obedientiam præstandam esse existimans, Systema quoddam confarcinavit, de quo idem professus est (2). *Se Astronomiæ suæ incrementa debere Copernico, Physicæ Galileo, Medicinæ Harvæo: Philosophiam vero civilem non antiquiorem esse, quam liber a se de Cive conscriptus*, ob quem merito *Politicorum*, sicuti ob illum LEVIATHANIS *Atheorum auriga* audire meruit.

LVIII. Hic nempe, si quæ supererat Divinis scripturis interpretandis apud Philosophos reverentia, si quæ in cogitando temperantia, si quæ in Epicuro sectando prudentia, si quæ in metaphysicis moderatio, si qua in politicis circumspectio, si in Theologicis veneratio, & pene dixerim quicquid in homine sanum judicari potest, omnia insolentissima percalcavit

(1) Bruck Hist. Philos. Tom. v. p. 312.
(2) Thom. Hobb. Epist. Dedic. *Element.* Philosoph. Sect. I.

vit audacia, & Cromvellianæ Societati viam ſtravit, tot, tantorumque virorum, ac mulierum ruinis infamem, Rege inique capitis damnato, ac civili bello Anglia univerſa flagrante. Sæculi noſtri Genium hac æra regni ſui dominium ſignat, centum circiter annis ab hinc elapſis [1]. Nec diu cogitandi libertas latuit, nam poſt annos XX. in Anglicis Academiis obtinere cæpit Philoſophia Hobbiana, & in publicis ſcholarum velitationibus ejus paradoxa propugnari tanta confidentia potuerunt, ut *Daniel Scargil*, Artium Baccalaureus, & Collegii corporis Chriſti in Academia Cantabrigenſi ſocius, haſce Theſes typis Academiæ publicis vulgaverit, ac defendere non erubuerit.

I.

*Jus dominii fundatur in Potentia.*

II.

*Juſtitia moralis pendet a civilibus inſtitutis.*

III.

*Scriptura ſacra in legem ſancitur ſolummodo ex authoritate Magiſtratus.*

 IV. *Su-*

(1) An. MDCXLII., quo jam Cromvellius nova moliri cæperat ex *Anonym: de l' Orig. des Franc. Mac.* p. 66., librum ſuum DE CIVE clam edidit Hobbeſius, quem deinde an. MDCXLVII. ad eam formam redegit, qua nunc legitur *Bruck Hiſt. Critic. Philoſ. Tom. V. pag.* 154. An. MDCLI. Scriptum prodiit titulo LEVIATHAN ex *Auctar. vitæ Hobbianæ* pag. 20. Quo anno Cromvellius jactis jam novæ Reipublicæ fundamentis de eadem ſervanda, ac propaganda cogitabat. *Anonym.* de l' Orig. des Franc. Mac. pag. 86.

IV.

*Supremi Magistratus jussis, etsi legibus divinis, quæ de moribus latæ sunt, contrariis, obtemperare oportet.*

V.

*Gloriosum esse* Atheum *fore, & censeri* (1).

LIX. Gallia interea, in æmulandis aliorum Nationum studiis nulli secundam, se passa est existimari, sed cautius, prudentiusque cogitandi libertate est usa, & quamquam inter Hobbesii amicos recensentur (2) Petrus Gassendus, Marinus Mersennus, Renatus Cartesius, quorum etiam mutuæ extant Epistolæ (3), ac datæ, acceptæque vicissim laudes; istis tamen desertæ Religionis notam, nemo inussit, nisi vel calumnia æmulorum, aut Atheorum jactantia, qui, ut novæ Philosophiæ Proceres in suis castris meruisse viderentur, Cartesium *Spinozismi Architectum*, sic a Regio appellatum, se habere, gloriabantur, & quodlibet paradoxum, inauditumque in Ecclesia resonabat, Cartesiano nomine proponebant (4); quam

(1) Hanc ultimam Thesim invidiæ augendæ caussa adjectam fuisse suspicatur Anony. *in Auctar.* vitæ Hobbianæ p. 25. In Folio tamen, edito Cantabrigiæ an. MDCLXIX., quo propugnatæ sunt, eadem habetur.

(2) In Elenco Amicorum Hobb. apud Auth. Auctar. vitæ ipsius pag. 42.

(3) Thom. I. Opp. Philos. Cartesii pag. 80. seq. Bruck Hist. Crit. Philos. tom. v. pag. 153. & apud Anonym. *in Auctar.* pag. 18. seq.

(4) Vide Bruk. ubi supra §. XXXVII.

quam tamen calumniam ab eo depellere conatus est Ruardus Andala, edito libello *de Carthesio vero spinozismi eversore, & physicæ experimentalis architecto* (1). Verum illud pro explorato jam, ac comperto habetur, ex libris Hobbesii, ac Cartesii male intellecta, ac pessime interpretata doctrina, Spinozæ impia dogmata prodiisse, omniumque illorum deliria, qui ubique gentium, ac in Batavia præsertim, ejus partes sequuntur [2]. Quarum si vellem heic consectaria attexere, vix Sermoni huic meo finem imponere tandem scirem, & modum; quum in dies nova prodeant librorum portenta, quibus jam aut legendis, aut impugnandis par ætas esse nequit. Eo tamen omnia redeunt, ut sublata, aut saltem posthabita Religione, omnes eruditionem suadeant, mutuo foveantur ingenia, suoque quisque in cogitationibus suis utatur arbitrio, avitæ libertatis, ac indifferentiæ partibus, unice addictus.

LX. Hæc, PATER BEATISSIME, ingenue, ac libere dicere volui, ne recentioris philosophiæ studiosis, qui intra statutos ab Ecclesia limites, Ejusdem disciplinæ obtemperantes, sua placita modeste, moderateque tuentur, inique detraxisse dicar, aut ea quæ ad sæculi Genium spectant, videar ignorare, dum eum



(1) Editus est hic Liber Andalæ an. MDCCXIX. Franekeræ 4.
(2) Mosh. Polyf. Tom. II. L. I. Cap. XV. n. 14

profligare gestio. Nostris siquidem juvenibus, quum primum de Lactantii Operibus, iterum vulgandis, cogitarem, prodesse optavi, ne incautam, atque preposteram illa studiorum rationem assumerent, quæ sacrarum Scripturarum oracula ad naturalem, civilemque philosophiam, quoquomodo pertinentia, aut negliguntur, aut a probato Ecclesiæ sensu detorqueantur, aut etiam, quod inde legitime deducitur, pessum detur. Ex tali quippe studiorum ratione ineptas primum, etsi speciosas inventu, dictuque hypotheses, mox pravas argumentationes, continuo falsas theses, demum divinorum librorum neglectus, vilipendium, depravationem, abjectionemque, sequi consuevisse, antiqua non solum exempla in Gnosticis, Porphyrio, ac Juliano Apostata, verum etiam recentiora in Peyrerio, Hobbesio, Spinoza, Tolando, Collino, Majero, Poireto, aliisque, qui humanæ rationis, ac Naturæ viribus, plusquam decet, tribuentibus, manifestissime demonstrant.

LXI. Iisdem propterea declarare satagam, omnium fere novorum Systematum fundamenta jamdiu a Lactantio labefactata, ac subversa in suis operibus fuisse, nec nisi irrito, aut saltem ambiguo labore, molitiones novas illis inædificari hactenus potuisse, aut deinceps posse, sine temporis, ac utilioris studii dispendio, suæque salutis periculo. Falsi quippe iidem

iidem ſunt, qui potiores cum novæ, tum antiquæ Philoſophiæ partes diligentiſſime contulerunt, nihil, aut parum admodum novi, quod proſit, hactenus poſt tot labores comparuiſſe, præter cogitandi libertatem, & fanaticorum ingeniorum portenta. Et quidem quantum ad artem bene cogitandi, in qua ſolummodo, ut vidimus, Verulamius (1), & plurimi, ante, & poſt ipſum, Ariſtotelis methodum, ac logicam, quam vocant, improbarunt, attinet, *Nihil pene novi*, ſi Morhofio credimus (2), *ab illis, qui tamen nova ſe dixiſſe putant, dictum eſt, quod non commoda deductione e principiis Ariſtotelicis arceſſi poſſit*, Imo addit (3) de Logicis, & Metaphyſicis ſcriptoribus agens *Ariſtoteles hic primas obtinet, & non ſolum primus, ſed omnium optime artem logicam tradidit, quidquid etiam iis videtur, qui Ariſtotelem impugnarunt . . . Petrus Gaſſendus, Petrus Ramus, Nicolaus Nizolius, & qui vis alii, quorum jam ſupra eſt mentio facta, cavillatores potius agunt, quam veros diſputatores, & dialecticos*, eademque fere de aliis quoque ſcientiis, ab Paripateticorum Principe pertractatis, paſſim graviſſime docet. PhiloſophiæTheoreticæ ab originibus hiſtoriam cum ſuis obſervationibus texuit Buddæus, & poſt-

(1) Morhof. Poly. Tom. I. L. II. Cap. VII. n. 24. extr.
(2) Id. Tom. II. L. V. Cap. I. n. I. ext.
(3) Ibidem, & L. II. Part. I. Cap. XII. n. 7.

postquam præcipua in singulis ejusdem membris inventa recensuerat, professus est (1). *Poterit vero aliquis existimare, habere & hic, quo nostra se ætas præseferat antiquitati, novas scilicet hypotheses, & principia, quæ intimæ naturæ recessus nobis pandant, quæve adeo inventis novis, quibus excussa est doctrina naturalis, merito sint addenda. Sed hic ego secus sentio (2). Præterquam enim quod hypotheses præcipuæ, saltem universales, quæ passim hodie receptæ sunt, neutiquam novæ sunt, sed jam in veterum Philosophorum scriptis inveniantur: parum hactenus suis hypothesibus eruditi profecerunt. Et sane, si dicendum quod res est, tota ista disceptatio de caussis corporum naturalium in meras conjecturas abit. Quarum una equidem verosimilior sæpe est altera, adeoque eidem præferenda; conjectura tamen est, in cujus gratiam alios quocumque modo refellere, ac confutare, magna profecto, ne quid gravius dicam, imprudentia est.* His addere possem Merici Casauboni, Isaaci F., Epistolam, quam ad Petrum Molinæum dedit *de studio societatis Regiæ Anglicanæ*, ac Anonymi cujusdam *meditationes in Eruditorum recentiorum variarum Academiarum conatus*, qui veterum inventa, & artificia, cum hodiernis conferentes, istis illa non

(1) Jo. Franc. Budd. observ. in Hist. Phys. §. XLIX. seq.
(2) Idem §. L.

non ſolum maxime præferenda eſſe cenſent, ſed vehementer dolent, ab his ea, quæ jam reperta fuerant, hominibus utilia, neglecta, & perdita ſuis laboribus fuiſſe. Sed de his ſuo loco ſermo redibit.

LXII. Demum juvenes noſtros monere non deſinam de periculoſis quibuſdam propoſitionibus, quæ paſſim fines Italiæ pretergreſſæ, vago rumore, nec bene ab omnibus intellectæ, feruntur; cujuſmodi illa eſt (1): *Noſtris autem temporibus quum tot animorum ſeditiones excitavit quinque propoſitionum damnatio* in ſenſu a Janſenio intento, *& poſtrema banc in rem habeamus CLEMENTIS XI. P. M. Oracula, nondum tamen ſancitum aperte fuit, ſpectare ad fidem* (quod eſt ad Janſenii ſenſum) R*omanæ ſedis, ſeu Eccleſiæ totius alioqui venerandam ſententiam*. Scandalum pluribus hæc propoſitio præbuit, quum in verbis contradictio appareat; ſi enim *in ſenſu a Janſenio intento* quinquæ famoſæ propoſitiones, ut hæreticæ damnatæ ſunt, quomodo nondum ſancitum aperte fuit, quo ad ſenſum Janſenii ſpectare ad fidem, Romanæ ſedis ſententiam? Subtilis quæſtio eſt, nec omnibus pervia mentibus. *Senſus ab Authore intentus*, bifariam ſumi poteſt. *Primum prout verba eum præſeferunt*. Et ſic dubium eſſe nequit, quin damnatio illa ad fidem pertineat. Secundo, *pro ut*

(1) Laminad. Pritan. de Ingen. Moder. Lib. 1. Cap. XIX.

*ut illud indicat, quod scriptor in mente habuit, quum sua sensa dictabat*, de quo anceps fortasse judicium est: sed non adeo tutum id asserere. Ipse enim Jansenius (1), *morti proximus*, id, quod futurum erat, prævidens ne an timens, nescio, *Opus suum irrefragabili Sedis Apostolicæ judicio submisit*; & iccirco ipse quidem Hæretici infamem notam vitavit, quam tamen sectatores sui evitare non possunt. Similis huic, & forte, ut novi, illa periculosior est, quam habet idem *Lamindus*, *Pritanius* Cap. XXII. ejusdem libri, ubi ait. *Quamquam enim neque in Physica, neque in Astronomia quidquam certi habeamus de Telluris motu*, ATTAMEN EAM SENTENTIAM NONDUM ECCLESIA, AUT APOSTOLICA SEDES DAMNAVIT, *neque pro hæreticis reapse habet tot eruditos viros, aut clam, aut aperte eam amplexos, sive olim, sive duobus proxime præteritis sæculis*. Quidam enim hinc arbitrati sunt, opinionem illam de motu telluris circa immotum solem etiam per modum thesis propugnari recte nunc posse; sed longe falluntur. Quamquam enim nondum ut hæretici ob eam thesim damnati sunt ii, qui eam hactenus propugnarunt, & quamvis, *ut hæreticam* Ecclesia, aut Apostolica Sedes illam non proscripserit; eam tamen semel, & iterum damnavit Sacra S.R.E. Car-

(1) Franc. VanRast *Veritas in medio* pag. 48. Edit. tertiæ Venetæ.

Cardinalium Congregatio, Indici librorum prohibitorum præpoſita, & quidem (1), *ut falſam, divinæque Scripturæ omnino adverſantem*. Eandemque damnationem confirmavit in proſcriptione dialogorum Galilei de Galileis XXIII. die Auguſti an. MDCXXXIV. Verum tamen eſt, quod an. MDCXX. hanc declarationem operibus Nicolai Copernici, deinceps typis ubicumqne dandis, præfigendam eſſe, ſtatutum fuit; nimirum: *Quamquam ſcripta Nicolai Copernici, nobilis Aſtrologi, de Mundi revolutionibus, prorſus prohibenda eſſe Patres S. Congregationis Indicis cenſuerunt, ea ratione, quia principia de ſitu, & motu terreni globi, ſacræ ſcripturæ, ejuſque veræ, & catholicæ interpretationi repugnantia (quod in homine Chriſtiano minime tollerandum eſt) non per hypotheſim tractare, ſed ut veriſſima adſtruere non dubitat. Nihilominus, quia in iis multa ſunt Reipublicæ utiliſſima, unanimi conſenſu in eam iverunt ſententiam, ut Copernici opera, ad hanc uſque diem impreſſa, permittenda eſſent, prout permiſerunt, iis tamen correctis juxta ſubjectam emendationem, locis, in quibus non ex hypotheſi, ſed aſſerendo, de ſitu, & motu terræ diſputat*. Quæ omnia idcirco heic a me prolixius relata ſunt, ne iterum hac via ſenſim error

(1) In Decreto Edito V. Maji *MDCXVI.*

error ſurrepat, quo nondum penetrare potuit (1).

*Principiis obſta: ſero medicina paratur;*
*Nam mala per longas invaluere moras.*

LXIII. Et quia etiam invitis, quum poſſumus, prodeſſe jubemur, & urgere beneficium, quod furioſa, aut ſuperba manus a ſe repellit, ac pertinaciter recuſat; in iis omnibus, quibus fas eſt, Adverſariis quoque noſtris morem gerere conſtitui; & primum quidem, ne tribus voluminibus maximi ordinis lectores noſtri onerentur, Lactantii opera in libros ſingulos, in quos author ipſe diſpeſcuit, aptiſſima forma diſpoſui, & ſic deinceps in lucem emitti curabo, ut quilibet eos contrectare facile poſſit, & emptorum loculi a Bibliopolarum avaria liberentur. Diligentiam quammaximam me adhibiturum polliceor, ut Authoris verba, ac variantes lectiones typographicis careant erratis, neque illud contingat, quod in Apparatu meo, alienæ curæ tradito, tantopere damnarunt inhumani quidam cenſores, in hujuſmodi re propriæ conditionis obliti, nec ſemper æqui, bonique judices, quos decet, hanc veniam dare, ac poſcere viciſſim. Hunc aliorum librorum ſpecimen eſſe velim, quem Firmianus adverſus Epicureos excudit, veluti aliorum prodromum, eoque bel-

(1) Vide omnino Mariu. Merſennum Comment. In Geneſ. ad Cap. I. verſ. x. Art. vi., & N. Dominic. a SS. Trinit. Bibl. Theolog. Tom. III. L. III. Sect. vi. Cap. xiv.

bellum iis omnibus indixit, qui a sapientia grande sibi nomen usurpabant. Huic ordine succedet liber *de falsa Religione*, qui primus est *Divinarum Institutionum*, & usque ad septimum ita imprimi alios singillatim faciam, ut cujuscumque arbitrio in unum fasciculum, vel in plures, cuncti coire facile possint. His consequens erit *Earundem Divinarum Institutionum Epitome*, cui comes erit pulcherrimus *de Ira Dei* libellus, eique alter *de Mortibus Persecutorum* addetur. Carmina demum subsequentur, inter quæ *Symposio* primum dabitur locus, secundus vero cæteris, *de Phoenice*, nimirum, ac *de Passione Domini*, in quo piis meditationibus vacantes Lectores meos quiescere faciam. Nam quatuor dissertationum decades, totidem voluminibus dispertitas, justis intervallis editionem sequi destinavi, quam indices vocum, formularum, ac rerum locupletissimi absolvent, in unum atque extremum volumen redacti: *Quibus si lucrari hos a morte, ad quam concitantissime tendunt, non poterimus; si ab illo itinere devio ad vitam, lucemque revocare, quoniam ipsi saluti suæ repugnant; nostros tamen confirmabimus, quorum non est stabilis, ac solidis radicibus fundata, & fixa sententia* (1).

LXIV. Sic autem mihi, PATER BEATISSIME, hæc disponenda visa sunt, quum nihil aptius

(1) Lact. L. V. D. I. Cap. I. Seg. 9.

aptius fieri posse putem hisce temporibus *ad Sæculi Genium* profligandum, quam iisdem fere morbis eadem applicare remedia, quæ efficacissima dudum comprobavit experientia. Gnostici enim hisce libris a Lactantio vulgatis, una cum Valentinianis disparuere, quamobrem S. Gregorius Nazianzenus hujusmodi pestes hominum inter eas hæreses refert, quæ ad finem sæculi quarti extinctæ sunt (1); Nec nisi centum post mille annos vestigia eorum in orbe terrarum iterum visa fuerunt. Præsertim vero Lactantii nostri operibus, sic distributis, uti poterunt humanarum literarum studiosi adolescentes, quorum ingenia, veræ sapientiæ, ac pietatis tempestive præoccupata seminibus, uberrimos aliquando fructus mago fænore datura esse speramus, quum ad altiores philosophicas, ac Theolegicas disciplinas non omnino jejuna protrahentur. Vidi equidem quamplurimos ex Heterodoxis, inter quos lues illa, de qua hactenus locutus sum, in dies magis, magisque grassatur, alia ratione, & certe non inani prorsus labore, eam a suis regionibus abigendam studuisse; non eo tamen, quo desiderabant successu, quoniam; quum nec ipsi firmis nitantur talis, nec ad morbi radicem evellendam, quæ est *inconstantia in fide*, adhibeant, parum admodum proficiunt. Ne

(1) Vide Tillem. Tom. III. Part. II. pag: 150. & Theodoret. *Hæret. Fabul.* L. *I.* C. *XVI.*

Ne illud addam; quoſdam potius obfuiſſe, inique quibuſdam authoribus impacta de Atheiſmo, aut de Scepticiſmo, & Pantheiſmo calumnia: vel adverſariorum argumenta pro inſolubilibus venditando, vel demum jejunas, atque inanes ſubjiciendo reſponſiones, ut de Petro Bælio (1), ac Thoma Campanella quin omnibus conſtet, minime dubito. Ex noſtris pauci admodum hanc provinciam curandam ſuſceperunt, vel quia nondum plene morbi genus exploratum habuerunt, vel quia apud nos, ſummi Numinis providentia, ac vigilantiæ *Tuæ* beneficio, minime apparuerunt, qui eo laborare dignoſcerentur. Si qui autem ante ducentos annos,& ultra ex Italia prodiiſſe dicuntur: ii *non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utiqae nobiſcum; ſed ut manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis* (2). Quamquam furioſi illi, a quibus omnia nobis vitio vertuntuntur, ad odium, invidiamque apud ſuos erga nos creandum, id nobis exprobrant, ac ex noſtro ſilentio jam inter impios nos malunt recenſere. Et qui antea ab ipſis nimia ſuperſtitione peccare dicebamur, nunc, novo impoſturæ genere, *Adiaphoriſtis*, *Politicis*, *Theoſophiſtis*, *Latitudinariis*, *Libertinis*, *Deiſtis*, *ac Tyrrannidis fautoribus*, collegati traducimur, atque tan-



(1) P, Bælius Thom. Campanella in Atheiſmo Triumph.
(2) Jo. Epiſt. I. Cap. II. verſ. 19.

tandem *Atheistis* adnumeramur (1), ut impiorum hominum examinibus Ecclesiæ nostræ latera dilatemus, & Sanctissimo Romano Antistiti, cujus nunc Officio Tu, Beatissime Pater, in D. Petri, Apostolorum Principis prima omnium Sede, manifesto Numine constitutus, mirifice fungeris, subditorum agmina augeatur. Quasi Ecclesia, Christi Sponsa, hisce uteretur mancipiis, aut ita pauci, & soli essemus, ut ad ausus temerarios Heterodoxorum reprimendos, Asylum perditorum hominum, quemadmodum (2) a Romulo olim factum legimus, Romæ esset constitutum.

LXV. Nihilominus, nisi mea me fallit opinio, ob hanc ipsam caussam erunt fortasse aliqui illorum, qui me violatæ charitatis, ac prudentiæ, nec non temperantiæ postulabunt, ut mos eorum est, quum hæresis, aut erroris arguuntur, acriterque vellicantur: qui tamen modestiæ, lenitatis, comitatisque magistros se interea esse dicunt, quamquam adhuc nos infamare non cessant. Non enim solus Scultetus (3) Valentinianis, Danæus Encratitis, Scepticis la Placette, sed etiam inter recentiores hujusmodi elogiis nos mactant quotquot sunt, qui calamos inter eos tractare di-

(1) Vide Michael Henric. Reinard. *De* Offic. Scholar. advers. impietatem Sæculi præsert a §. x. seq.

(2) Plutar. in Romulo & Lact. L. II. Cap. VII. al. VI. Seg. 13.

(3) Scult. *Medul. Patrum P.* 1. *pag.* 131. Danæus *Ad August. de Hæres. C. XXV.* La Placett. *De Scept. Eccl. Rom.*

didicerunt, tunc quoque, quum nulla eis datur occaſio maledicendi. Non aliquem profecto inter eos gregarium in exemplum adducam, ſed *virum* [2] *bonum, honeſtum, humanum, atque benevolum, pacis amatorem, contradictionis, & liticularum, humanitate carentium, atque judiciorum temerariorum inimicum*, qualis in Epiſtolis ſuis ſe præbuiſſe, dicitur omnibus conſpiciendus Godofr. Guilhelmus Leibnitius, eruditorum hujuſce ſæculi inter Lutheranos clariſſimus. Is enim de Eccleſia loquens, hoc nos donat encomio (3). *Romana Eccleſia unitatem ſuam mirifice jactat. Ego vero tueri auſim, illam unionem non eſſe veram, ſed tantum exteriore aliquo politico ſyncretiſmo ſimulatam*: quod deinde effatum falſis aſſumptionibus, male congeſtis, demoſtrare nititur. Si hæc per ocium vir tam bonus, a noſtris laudatus, de Eccleſia Catholica locutus eſt; quid, quæſo, dixiſſet iratus, provocatus, irritatus homo inter ſuæ profeſſionis alumnos minus bonus, nec tantis virtutibus, ſtudiſque exultus, & expolitus? Memineris fortaſſe, PATER SANCTISSIME, qua ratione Chriſtianus Erneſtus a Windheim, Ordin. Phil. in Julia Carolina adjunctus, Academiæ Gottingenſis Profeſſor, magni Moſhemii Gener, *ſcriptis*, ut ajunt, *exaſciatis* ſatis



(1) Apud Bruck. Hiſt.crit. Philoſ. Tom. v. ex memor. Trivult. an. MDCCXXXVII. Nov. art. 11.

(2) Leibnit. *Otium Hannov.* p. 172.

notus, in tuam illam ſapientiſſimam, ac pietatis, diſciplinæque Eccleſiaſticæ luminibus cumulatam Epiſtolam, ad Epiſcopum Auguſtanum datam, nuper egerit; quamquam proteſtatns hiſce verbis eſſet (1). *Faciam vero, ne quis animi temperantiam, reverentiamque erga* PONTIFICEM MAXIMUM, *nec poſtremum inter Europæ Principes, in his meis obſervationibus aliquis jure deſiderare poſſit*. Si poſt hæc idem Gottingenſis Profeſſor in TE, in Epiſtolam, ac divina opera TUA, quæ Cæleſtis doctrinæ theſaurus merito dici poſſunt, ea dumtaxat ratione invectus eſt, quia *impium* LUTHERUM, & pro *hæreticis* ſectatores ejus habendos eſſe dixeras, quid me tutum reddet *a Gottingenſi librorum novorum Relatore*? Cujus tametſi ignota mihi perſona ſit, & conditio, nota tamen ſua in me benignitas eſt, & manſuetudo, necnon *æquitatis naturalis*, atque *humanitatis* cultura.

LXVI. Agat tamen mecum quocumque modo, vel ipſe, vel alius, ſuæ, aut alterius profeſſionis homo mavult: iis quoque, velint, nolint, opem aliquam hocce conſilio, me ſpero allaturum, & qui ex præjudicata opinione remedia noſtris manibus oblata reſpuunt, aliena fortaſſe recipient; ac tali pacto locus dabitur, ut reſponſa mea poſtmodum habeant, ſi quid re-

(1) C. E. a Vvind. *Obſerv. Theol. Hiſt.* ad BENEDICTI XIV. P. M. *nuperam ad Epiſc. Auguſt. Epiſt.* pag. 19.

reponere deinceps velint. Etsi enim ab eo dicar (1) *homo plane extra eorum affectus collocatus*, non iccirco ego eis inhumanus aliquando fui, aut sum futurus. Errores equidem heterodoxorum omnium semper ex corde odi, ac sincero animi sensu abominor, atque ad ultimam usque sanguinis stillam persequar; ipsorum tamen personas, eorundemque animas, Christi Domini sanguine redemptas, summopere diligo, eisque meliorem mentem enixe quotidie deprecor, atque opto. Quam semel eis spopondi fidem (2), fidelissime servabo: neque in castris, in quibus nomen dedisse meum Dei munere glorior, aut imparatum, aut inermem me reperient, si vires suas mecum experiri pro veritate voluerint. Quemadmodum qui pacem, & concordiam, deposita in erroribus pertinacia, desiderant, me eorundem salutis sponsorem, obsidem, ac vadem, statoremque dare, non recusabo; & promtum, expeditumque polliceor eis officium meum ad omnia præstanda, quæ salva fide, ac religione illæsa in eorum gratiam a me fieri desiderabunt; Quod si renuant, meminerit illud, vere memorandum S. Grerorii Nanzianzeni effatum: *Melius esse pietatis caussa ortum discidium vitiosa concordia* (3). Profecto, qui Christi membra sunt non politicis, aut humanis, fa-



(1) Pag. 54.
(2) In Apparatus mei præf. paullo ante finem.
(3) S. Greg. Nazian. Orat. de Pace.

cile ſolubilibus vinculis, ſed fide, & Charitate in hac Eccleſia junguntur, quæ eſt una, ſancta, Catholica, & Apoſtolica, ſub uno viſibili capite, Deo jubente adunata, quo docente fideles diſcunt, quo imperante parent, quo definiente credunt, quo ſilentium imponente obmuteſcunt, quoniam illi ſoli dictum eſt (1). *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Qui hujus Paſtoris ductum non ſequitur, qui virgam ejus non timet, qui voces non exaudit, nec inter oves, aut agnos Chriſti, neque in ovile ejus locum ſe habere velle manifeſtant, ideoque a lupis rapacibus, quibuſcum agunt, rapi tandem, & occidi neceſſe erit, & a Leviathane vovari.

LXVII. Nihil ergo refert ſi ſermones hoſce meos Relator Gottingenſis parvipendat, meaque LATINITATE (2), nec barbara, nec peregrina, uti nolle profiteatur, quum hanc ei imitandam non proponam, contentus ſi eam ſane intelligat, nec in typographicis quibuſdam erratis ita hæreat, ut *bonam* cartam, a me fædatam, *nulloque labore eluendam* temere, ac inſcite pronunciet. Si criticum agere velit, diſcat prius latini ſermonis nativum ab inducto per neglectum colore, prudentius diſcriminare, ne faciem Æthiopis, ut in Æſopicis

(1) Luc. XXII. 32.
(2) Relat. *de Libr. novis* ubi ſupra pag. 51.

cis legitur, divexet potius, quam lavet. Si castitatem, puritatemque eloquentiæ amore deperit, Lactantium, quem *Christianum Ciceronem iterum prædicari audit*, attente auscultet, & oculis, ac mente, non autem *auribus legat*, ne forte eidem *auriculæ* iterum, & quidem acrius *radantur* (1). His quippe missis, satis mihi erit, si opus hoc meum in suis fasciculis referre maluerit, ut denunciare, quod affert sermo meus, non quid ipse, aut alii eidem inferunt, seu per inscitiam, seu per livorem, velit. Et sive cum illis faciat, quos primo loco, sive cum iis, quos secundo perstrinxi, se eosque monitos intelligat, me ex animo omnibus prodesse vehementer desiderare, & quidem potissimum in vera, & unica Religione tuenda, quam profiteor, & a qua æquitas omnis, sincera pietas, ac humanitas, rectæ rationi congrua, instrui debent, atque pendere. Huc omnia mea redeunt, quo Lactantii scripta collineant. Nihil profecto in eis, quod odium, sive nauseam excitare queat, justitiæ, ac sapientiæ amatores reperient, sed quicquid juvenes erudire poterit, indicatis, explanatisque locis, in quibus forte incauti laberentur, habebunt: Et quamquam Xysto Betuleio, qui Lactantii opera publice auditoribus suis in Augustana Academia explananda susce-
pe-

(1) Ibidem p. 47.
(2) Ibidem p. 46.

perat, a Lutheranæ ſcholæ Magiſtratu ea lectione interdictum fuit, cauſſam tamen is non niſi in æmulorum quorundam improbitatem regerere voluiſſe videtur; & non ſolum exemplis, atque conſiliis virorum, inter eos doctiſſimorum id feciſſe oſtendit, verum etiam rationibus, a ſe bene inſtitutum demonſtrat in præfatione ſuis commentariis præfixa, in qua diſputat *Utrum Lactantiana ſcripta in ſcholis juventuti legi, ac enarrari conveniat?*

LXVIII. Verum quicquid ab eis, qui extra Sanctam Dei Eccleſiam ſunt, de Firmiani noſtri operibus actum, dictumve fuerit, nihil eſt quod nos ſollicitos reddat, quum nihil hactenus repertum ſit, quod illis diu placuerit, quibus etiam Regula, & Confeſſio fidei nec ſemper eadem, nec una aliquando fuit, ut ex irrefragabilibus documentis demonſtravit Jacobus Benignus Boſſuetus, Condomienſis primum, deinde Meldenſis Epiſcopus, in hiſtoria de variationibus Eccleſiarum Proteſtantium, ac in illis omnibus operibus, deinde perſcriptis, ad eandem hiſtoriam propugnandam adverſus querelas Petri Jurieu, Jo: Claudii, Jacobi Baſnagii, ac Gilberti Burneti, quos eo rerum redegit evidenti ſuarum Eccleſiarum in fide inconſtantia, ut de more unus alium mendacii, atque falſitatis, argueret. Illud ſatis eſſe ad conſilium noſtræ editionis probandum, tuto, & cum fiducia profero, magni ſemper a cordatis viris æſti-

æſtimata fuiſſe Lactantii Opera; in quibus plurima, ne dicam omnia, quæ in aliis variorum generum ſcriptis voluminibus eruditionis exquiſitæ lumina diſpartita ſunt, tam concinne, tam eleganter adunata reperiuntur, ut neque ad pietatem, neque ad morum compoſitionem, neque ad eloquentiam, neque ad robuſtum oratorem Cariſtianum inſtituendum, iiſdem, arbitrer, reperiri poſſe aliquod aptius exemplar adoleſcentibus ſtudioſis proponendum.

LXIX. Et Utinam BEATISSIME PATER, tantæ authoritatis, ac æſtimationis apud TE aliquando eſſe meruiſſem, ut ferendis legibus vel TIBI, vel ſtudiorum moderandorum arbitris author eſſe poſſem! Tunc enim hanc primam ſuaderem, hortarerque, ut in ſcholis humanarum literarum ab Ethnici Ciceronis prælectionibus, Tullii noſtri Chriſtiani nunquam ſepararetur expoſitio, brevi ſperans futurum, ut præceptores, & diſcipuli meliores haberentur, nec facile a *Sæculi Genio* in tranſverſum a veritate iter traducendi. Confidentius, quam par eſt, fortaſſe loquor, ſed parcendum amanti, parcendum ingenue de more loquenti, qui ad pedum *Tuorum* oſcula, non uti ſuaſor, & author, ſed uti orator ſupplex accedit, ut ſaltem impetrem TUI immortalis, glorioſiſſii nominis patrocinio donari primum hocce Lactantii Firmiani opus, quod *de Opificio Dei*, ſeu

*ſeu de Hominis formatione* inſcribitur. Id Tibi profecto pluribus nominibus debitum eſſe, negari non poteſt, ſcilicet quia primum eſt, quod Author eximius lucubravit: quia de ſummi Numinis Providentia, quam ab Epicui calumniis vindicat, ac ſtrenue propugnat, ſapientiſſime agit; demum quia de homine, quem mirifice deſcribit, potiſſimum in eo loquitur. Hæc ſane omnia, Te Principem Optimum Maximum, divina providentia hominibus viſibile, ac Sanctiſſimum Eccleſiæ Caput, de Cælo manifeſtiſſime datum, quam maxime deceant, neminem, puto, ignore poſſe. Sed quid plura commemoro! Quaſi vero ad præfigendum huic operi Tuum præclariſſimum nomen juſta cauſſa non eſſet mihi inopi, ac ignoto homini, audaciſſimos hoſtes aperta fronte, nudoque pectore jamjam aggredienti, patrocinium, tutelamque abs Te enixe deprecari! Non equidem alium ſub ſole virum, Te magis idoneum ad auxilium mihi cum ſapientia, tum potentia, ac voluntate præſtandum, invenire potero, vel ſi univerſum circumeam orbem. Hoc ergo, quum illud præcipue ſit, quod exopto, Te per Deum vivum, cujus vices in terris jure, meritoque geris, ut me, Lactantiumque meum totum tuendum ſuſcipias, oro ſupplex, & obteſtor: idque rogo concedas mihi optatiſſimum conſequi, ut extet erga Te documentum hocce devotionis meæ, tenue

qui-

quidem, si laborem meum consideres; sed grande si argumentum; sed illustre si Authorem; sed necessarium, & Maximum si sæculi nostri Genium respexeris ex Sancta ista D. Petri Sede, in qua Sedenti Tibi, sicuti olim S. Leoni I., prædecessori Tuo, ab universali Synodo Chalcedonensi acclamatum est, nunc quoque cum universa acclamamus Ecclesia: BENEDICTUS XIV. Sanctissimus, et (1) Œcumenicus Pater per multos annos vivat.



L. CÆ-

(1) Quo jure id dictum a nobis sit, iis non obstantibus, quæ habentur in *Decr. Gratiani* Dist. *IC.* Cap. *Nullus*, & seq. ex Epist. xxx. S. Gregorii M. L. vii., docet S. Thom. Opusc. xix. Cap. iv. pag. 243. & Opusc. i. Cap. xxxii. pag. 18.

# L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI

## DE OPIFICIO DEI

### Liber unus, ad Demetrianum.

### CAPUT I.

1. 
Uamquam minime [a] sum quietus [b], et jam in summis [c] necessitatibus [d], ut* ex hoc libello poteris æstimare [e], quem ad te rudibus pene verbis [f], prout ingenii mediocritas [g] tulit, Demetriane, perscripsi, ut & quotidianum [h] studium meum nosses, & non deessem tibi præceptor etiam nunc, sed honestioris rei, meliorisque doctrinæ [i].

 Nam

---

a *Quamquam minime* Hactenus in omnibus editis, ac plerisque Mss. Lactantii exemplaribus, lectum est, *Quam minime* Nos vero lectionem exhibemus antiquissimi Bononiensis Codicis, & Vallicelliani F.n.II. *Quamquam minime* - Scite quippe heic observavit Erasmus, & Valla l. 1. eleg. cap. XVII. quod quoties *Tò quam* auget, eleganter præponitur nominibus superlativis. Cæterum quum usurpatur pro *quantum* - ut heic factum esset, tunc se non meminisse, ait, apud caste loquentes authores, jungi nisi positivis. Excipe tamen, *quam multa*, ut notamus ad l. 1. Divin. Inst. Cap. V. seg. 28. adversus Laurentium Valla cum Despauterio, & Bunem:

nem: Ut ergo nativo Lactantius nitori restituatur, sic legendum arbitrati sumus, quemadmodum & usus, & verborum sensus expostulare videntur: favente etiam conjectura, quam indicabimus in notis ad Cap.I.Seg.I. Epitomes Divin. Instit., & jam exposuimus Diss.XII.§.II. Al. *Nam minime* Schotti *quam minime* pro *parum* positum censuit.

b *Sum quietus* - Al. *Sim quietus* - Al. *In summis necessitatibus, ac supra vires meas libellum volui intimare, quem ad te* &c. Accuratissimi Laurentii Vallæ diligentia, quam in legendis Eruditorum libris adhibere consuevit, nobis notum fecit *Tò quamquam* in initio librorum nunquam conjunctivum, sed semper indicativum postulare; mirari propterea visus est, quum vidit Lactantium L. II. Cap. I. Divin. Institut. incepisse *Quamquam monstraverim* - temperavit tamen ab omni censura; & quidem prudenter, nam ab illa regula recedendum omnino, quoties actio, significata per verbum, jam finita est, ut ibidem contingit. *Quamquam primo libro religiones Deorum falsas esse monstraverim*. Observanda tamen, quando eadem actio perdurat adhuc, ut heic apparet: *Quamquam minime sum quietus* Iccirco relicta lectione Cod. Bon., & quorundam Aliorum, lego cum Vatic. 216. & 1922., Et cum Ciceron. Epist. I.L. II.Fam. *Quamquam . . . doleo*-Item Epist.XIX. l. X. *Quamquam . . . non desiderabam*, *&* *pro lege Manilia -- Quamquam mihi semper . . . . est visus* &c. Idem intellige de particula *Et si*. Vide Vallam Elegant. l. II. Cap. XXI. & Bangium L.II. *Obser.* Philolog. pag. 1258.

c *Et jam in summis necessitatibus*--Maxima est lectionum varietas in hisce vocibus cum in Mss., tum in editis Lactantii libris. Al. enim habent - *& in summis*-Al. *in summis* - Al. *& summis* - Al. *etiam & summis* - Al. *summis* - Al. *& jam summis*: Al. *quieti sumus & jam ne-*

*necessitatibus*: &c. Quare cum nostro Bon. Cod., aliisque pluribus legendum censeo: *Quamquam minime sum quietus, et jam in summis necessitatibus.* &c. ut sensus sit: *Quamquam non sum quietus, & quamvis jam in summis versor occupationibus; tamen non recuso laborem*, ut infra seg. 3.

d *Necessitatibus* - Duo satis diversa vox ista potest innuere: scilicet & *necessarias summi alicujus officii occupationes, & summam Lactantii paupertatem*, qua laborasse dicitur, usque ad necessaria. Hanc secundam significationem prima excludit, quam a Lactantio heic adhibitam puto: sicuti eandem adhibet paulo infra seg. 4.*Publicæ rei necessitas* - Et Plinius Epist. IV.L.III. ubi ait - *Collegæ optimi, meique amantissimi de communis officii necessitatibus prælocuti, excusare me, & eximere voluerunt* - Erat enim tunc Præfectus ærario una cum Cornuto Tertullio; Lactantius autem, quum hunc libellum scribere cæpit, jam in Galliis Crispum Cæsarem, Constantini M. filium primogenitum, informandum bonis literis susceperat, & in aulà Imperatoris versabatur. Unde subdit post pauca Seg. 2.- *Apud quem nunc profiteor nulla me necessitate vel rei, vel temporis impediri* - Vide Diss. VI. §. I. & III., Et interea ex utràque adhibitæ vocis significatione intellige quid heic innuere per eam Lactantius voluerit. * *Ut ex hoc libello* Particula *ut* ex Cod. Vat. 232. restituimus.

e *Poteris æstimare* - Al. *existimare* - Valla non idem significare dixit *æstimo*, ac *existimo*; sed ita se habere, ut *cogito* & *excogito*, quorum primum secundum debet præcedere, quum prius sit *æstimare*, & *cogitare* quam *existimare*, & *excogitare*; Attamen non semel *æstimo* pro *existimo* a Latinis eleganter usurpari solet pro eo, quod est *expendere*, & *judicare* - Cicer. pro Roscio - *Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat.*

f *Pene verbis* - Bon. *pæne*.

g *Ingenii mediocritas* - Idem Lact.L. III. Cap.XXX. Divin. Inst. Seg. I. - *Mea mediocritas tulit* - Vellej. Paterc. II. *Nostra mediocritas* - Cicer. Phil.II. *Non video, inquit, nec in vitâ, nec in gratiâ, nec in rebus gestis, neque in hac mea mediocritate ingenii* &c. Ideoque nescio, quà ratione vocem hanc, quidam cum Walchio minus probaverint.

h *Et quotidianum* -Bon. & *cotidianum* - Quem scribendi modum perpetuo servat.

i *Sed honestioris rei, meliorisque doctrinæ* Bon. *honestiores, melioresque* - Scilicet e pro i, quod sæpe sæpius contingere in hocce Codice observavimus.

 2. 

Nam si te in literis nihil aliud [a] quam linguam instituentibus [b], auditorem satis strenuum præbuisti, quanto magis in his veris [c], & ad vitam pertinentibus docilior [d] esse debebis? apud quem [e] nunc profiteor, nulla me necessitate [f] vel rei, vel temporis impediri, quo minus aliquid extundam [g], quo philosophi sectæ nostræ [h], quam tuemur, instructiores doctioresque in posterum fiant, quamvis nunc male audiant, castigenturque vulgo [i], quod aliter, quam sapientibus convenit, vivant, & vitia sub obtentu nominis cælent [k]: quibus illos [l], aut mederi [m] oportuit, aut ea prorsus effugere, ut beatum, atque incorruptum sapientiæ nomen, vita ipsa cum præceptis congruente [n], præstarent. Ego

a *Nihil aliud* - Bon. *nihil aliut* - Sic temper.

b *Quam linguam instituentibus* - Bon. *lingua*- Quam lectionem equidem retinuissem, nisi præcessisset *in literis*; nam *instituere lingua*, *litteris*, *arte* &c. Latine dicitur, non autem *instituere lingua in litteris*; iccirco *linguam* cum aliis lego. Et quamvis Walchius heic cum quibusdam: *linguam instruentibus*, intelligat literas oratorias, ad quas docendas Lactantius accitus Nicomediam a Diocletiano aliquando fuit; ego tamen sententiam ejus non sequor, quum certum, & exploratum sit, Grammaticorum esse munus, adolescentulis recti sermonis, Oratorum vero ornate, copioseque loquendi præcepta tradere. Ex quo conjicio Demetrianum in literis grammaticalibus institutum solummodo a Lactantio fuisse, & quidem extra Bithyniam, in quam se dixit accitum ad litteras Oratorias docendas l.V.Cap. II. Seg. 2.

c *In his veris*, *&* *ad vitam pertinentibus* subaudi *literis* Bonon. *in his verbis &* &c.

d *Docilior* Al. *Dulcior* -

e *Apud quem* Bon. *aput*

f *Nulla me necessitate* - Heic intellige, penuria nulla tunc Lactantium nostrum laborasse, quum jam Crispum Cæsarem imbuendum bonis artibus suscepisset.

g *Aliquid extundam* - Al. *excudam* - Utraque lectio bona est; ego tamen quoties mihi fas erit a Bononiensi non recedam. *Extundere* heic eleganter usurpatur pro eo, quod est *studiose efficere*, sicuti fit a Virgilio Æn.lib. VIII. v. 665.

*Lanigerosque apices*, *&* *lapsa ancilia Cælo*
*Extuderat* . . . .

Ubi vide Servium.

h *Quo Philosophi sectæ nostræ* - Bon. *Filosofi* Al. *nostræ sectæ* Bon. non habet diphtongum in ultima vocali, & prima subditur accentui inflexo. Erasmus eleganter

 qui-

quidem ; sed minus theologice putavit heic locutum esse Lactantium, *philosophos secta sua appellando Christianos*, quamvis libellus iste contextus sit stylo philosophico ad instar illius, quem Boëtius perscripserat *de consolatione Philosophiæ*. Andreas Schotti, tamquam dure dictum hoc idem notavit. Bunem: vero immemorem vocat Erasmum, quia a S. Justino M., a Clemente Alexandrino, & ab aliis, Doctrina Christiana, Philosophia, & Doctores Christiani, Philosophi appellantur, quod multis ostendit etiam Kortholtus. At ego eorum pace dixerim, heic Lactantium non omnes Doctores Christianos Philosophorum nomine indicare voluisse, sed eos solummodo, qui inter illos philosophiæ operam dabant, & juste, pieque vivendo, ex rerum naturalium notitia, quam physica tradit, existentiam summi Opificis Dei, ope metaphysicæ adversus Epicurum demonstratione quadam docebant. *Secta* autem vocabulum est, quod apud antiquos Scriptores, præcipue Ecclesiasticos, tam in bonam, quam in malam partem usurpari consuevit pro hominum Cætu in unam aliquam peculiarem sententiam Coëuntium, & ex addito facile intelligitur, quo sensu sit adhibitum. Adi Tertull. in Apologet. cap. I. & XXI. &c. S. Cyprian. Epist. præsertim XXIII. ubi ait- *Celerinus Confessor, quam sit moderatus, & cautus, & humilitate, ac timore* Sectæ nostræ *verecundus*.

i *Castigenturque vulgo* - Schotti heic ait pro *corripiuntur* posuit, non pro *emendantur*, *ut Latine dicitur*, quod ex Erasmo, forte mutuaverat ; sed Cæsar L.III.*de Bell. Civil.* eodem, quo heic Lactantius, sensu verbum hocce usurpavit, ait enim - Crebris Pompeji literis castigabantur - i. e. *increpabantur*, *objurgabantur*, ut scholiastes optime exponit.

k *Et vitia sub obtentu nominis calent*- Ethnici quippe Christianis invidentes, nec ob arcani disciplinam quid

quid in suis Conventiculis agerent, intelligentes, falsis, turpissimisque criminibus illos insimulabant. Adi Athenagoræ, Justini, Tertulliani, Cypriani, Minucii Felicis, Arnobii, Cyrilli, aliorumque opera, adversus Gentes scripta, quæ ab hujusmodi calumniis Christianorum populum gravissime vindicarunt.

l *Quibus illos* - Sic omnino cum Bon., aliisque legendum, quamvis Isæus *Tò illos* delendum censuerit, & in sua editione omiserit; nam de Ethnicis heic loquitur Lactantius, quibus, Christianos aut mederi oportebat, aut ea effugere, quæ ab ipsis agitabantur, ut ostenderent, sapientiam, & nomen cum moribus optime in suo cætu congruere.

m *Mederi* - Bon. *Mediri* - scilicet *i* pro *e*

n *Vita ipsa cum præceptis congruente* - Phrasis Lactantio usitata l. 1. cap. XXI. Seg. 4.

## 3.

Ego tamen [a], ut nos ipsos simul, & cæteros instruam, laborem nullum recuso [b]. Neque enim possum [c] oblivisci mei, tum præsertim, cum maxime opus sit meminisse, sicut ne tu quidem [d] tui, ut spero, & opto. Nam



a *Ego tamen* - Post initium adhuc sententia pendebat, nec fortasse Lectoribus nostris constabat, quid eo exordio sibi voluisset Lactantius: *Quamquam minime sum quietus* &c. Ex hac autem conjunctione statim apparet mens authoris, & castigationis nostræ necessitas. Quoties enim in oratione præcessit *quamquam*, aut *quamvis*, aut *etsi*, subsequi *tamen* necesse est: quemad-

admodum ubi particula *tamen* occurrit Tò *quamquam* præcessisse, aut quid simile oportet. Adi Servium ad Virgil. Æn. l. 11. v. 13. Immodica quidem hæc periodus videri poterit, nec facile memoria retinenda, sed fortassis non sine artificio constructa, ut non solum verbis, sed re animi perturbationem ostenderet Orator. Videsis Quint. l. IX. c. IV.

b *Laborem nullum recuso* - Al. *nullum laborem*

c *Neque enim possum* - Al. *ut non possum*. Aldus junior nobiscum legit.

d *Sicut ne tu quidem* - Al. *sic ne* -

 4. 

Nam licet te publicæ rei necessitas [a] habeat [b], & a justis operibus avertat [c]: tamen fieri non potest, quin subinde in cœlum aspiciat

..... *Mens sibi conscia recti*. *

Et

a *Publicæ rei necessitas*- Iterum author vocem istam adhibet pro summi officii occupationibus, ut initio capitis monuimus. Schotti - *Magistratus administratio* -

b *Habeat*, *& a justis* - Al. *a veris & justis* Isæus *a veris*, *& junctis*- omisso Tò *habeat*

c *Et a justis operibus avertat* - Rarum, inquit heic Erasmus, erat illo sæculo, *Christianam pietatem invenire in Proceribus*, *Aulicis*, *& Magistratibus*. *Magnum erat illos, nomine Christianos esse*. At falsum omnino est, quum iis etiam temporibus Christiana pietas in singulis hominum ordinibus longe, lateque coruscaverit. Nam sæviente Diocletiani persecutione, in exilium potius,

tius,& in mortem cum dirissimis cruciatibus ibant, quam Idolorum cultu pollui paterentur Christianorum nobilissimi. Vide Dissert. XXXII. n. 1., & cap.XIV. *de Mort. Pers.* Heic observa, Demetrianum hunc, etiam initio persecutionis munere publico functum esse, una cum aliis Christianis, quibus a Diocletiano etiam provincias mandatas fuisse, ac in proprio palatio honore habitos, testatur non solum ipse Lact. ubi supra; sed etiam Eusebius l. V. Hist. Eccl., &c.

* Virg. l. 1. Æn. v. 608.

 5. 

Et quidem lætor[a], omnia tibi, quæ pro bonis habentur[b], prospere fluere: sed ita, si nihil de statu mentis immutent[c]. Vereor enim, ne paulatim consuetudo, & jucunditas[d] earum rerum (sicut fieri solet) in animum tuum repat[e].

Ideo-

a *Et quidem lætor* - Al. *Ego quidem* &c.

b *Quæ pro bonis habentur, prospere fluere* - Cicero l. 1. Offic. hac phrasi usus est.

c *De statu mentis immutent* - Bon. *inmutent* - Betul. *A statu mentis* sic Cicer. *in Offic. dixit* - *A statu naturæ discedere* - Verum cum verbo *immuto* particulam *de* junxit Cicer. *in Orat. pro Flacco* 33. *De institutis priorum immutat successor aliquid*.

d *Consuetudo, & jucunditas* - Al. *vel jucunditas*.

e *In animum tuum repat* - Al. *sensim repat*, quam lectionem mallet Fulvius Ursinus. Sed Cellarius, & omnes post ipsum adverbium illud respuunt, utpote su-

ſuperfluum . Præceſſit enim *paullatim* - Heum: & Bunem. pro *repat* libentius legerent *irrepat*- Ego autem nihil mutandum cenſeo ; nam *repo* eleganter adhibetur pro eo , quod eſt *lente incedere* , ac *ſeſe inſinuare* . ut inſectorum mos eſt , & per metaphoram de vitiis omnibus dicitur .

6.

Ideoque te moneo , repetens .
. . . . . *Iterumque, iterumque monebo* ,* ne oblectamenta iſta terræ pro magnis , aut veris bonis habere te credas [a] , quæ ſunt non tantum fallacia , quia dubia , verum etiam inſidioſa , quia dulcia .

Nam

* Virgil. Æn. l. III. v. 436. Al. *iterum , iterumque* .

a *Pro magnis , aut veris habere te credas* - Eraſmus *Nove* , inquit , *atque dure dictum videtur* ; *quum enim heic* habere *ſonet idem* , *quod* ducere , *ſive* æſtimare : *quomodo monet* : ne ſe credat credere eſſe vera bona ? *Sed is potius monendus erat , ne duceret ea pro magnis bonis* . *Hæc non eo dico* , idem ſubdit , *quod inſecter Lactantium* ; *ſed ut intelligant Adoleſcentes , hujuſmodi nævos deprehendi nonnumquam in eloquentiſſimorum ſcriptis* . &c.Heum: legendum putavit - *habenda te credas* Aldus , Pauli F. , Aldi N. Mannuccius , annotat - *ſenſus & frigidus , & ineptus : ſi ita legas* - Schotti , & Gallæus Eraſmo ſubſcribunt . Spark. , Walchius , Bunem. , & Langlet. *Habere pro bono* heic non pro *æſti-*

*ma-*

*mare*, aut *ducere*, quemadmodum infra, usurpatum judicant, sed in sensu possidendi sumendum esse contendunt. Et bene; nam *habere pro bonis* heic valet *frui* quasi diceret: *moneo te, ne credas frui magnis, & veris bonis, quum vides te esse inter oblectamenta terræ* &c. Sic Plaut. Merc. Act. IV. Sc. IV. v. 4. *Nam qui amat, quod amat, si id habeat, id habet pro cibo*. &c. Videant ergo non tantum adolescentes, viros eloquentissimos aliquando dormitare; sed etiam critici discant, virga censoria non abuti, majus namque peccatum est castigare, quæ bona sunt, quam minus bona aliquando adhibere. Latet fortasse sub hisce verbis sensus occultior, quo Epicureos Noster aggreditur, qui in oblectamentis terræ bonum omne repositum prædicabant; ideoque: *ne credas*, inquit, *te habere posse oblectamenta terræ pro magnis, at veris bonis, quum hæc dubia sint & insidiosa*, & homines potius ab his habentur, quam ipsi illa possideant.

 7. 

Nam ille [a] colluctator [b], & adversarius noster scis quam sit astutus, & idem sæpe violentus [c], sicuti nunc videmus [d]. Is hæc omnia, quæ illicere [e] possunt, pro laqueis habet, & quidem tam subtilibus [f], ut oculos mentis [g] effugiant, nec possint hominis provisione vitari [h].

Sum-

a *Nam ille* - Al. *Nam & ille* - Aldus Jun: copulam delet.

b *Colluctator* - Bon. *Conluctator* - Diabolus heic a La-

Lactantio conluctator appellatur, quia nobiscum quotidie luctatur, tamquam adversarius; nam, ut inquit Cicero, sine adversario nulla luctatio est.

c *Et idem sæpe violentus* - Al. *Et idem ipse violentus* Aldus Jun. nostram lectionem retinet.

d *Sicuti nunc videmus* - Hinc collige, librum hunc scriptum a Lactantio fuisse persecutione in Christianos jam mota sub Diocletiano: post annum scilicet CCCIII. æræ communis. Vide D. August. in Ps. *93*. v. *19*.

e *Quæ illicere* - Bon. *inlicere*.

f *Subtilibus* - Bon. *Suptilibus*.

g *Oculos mentis* - Bon. *Mentes* - *e* pro *i*

h *Nec possint hominis provisione vitari* - Appositæ Cicero ad Q. Fratrem L. 1. Ep. 1. *Ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio possit ne occupetur.* Aldus *ne possint*.

 8. 

Summa ergo prudentia [a] est, pedetentim [b] incedere [c], quoniam utrobique saltus insidet [d], & offensacula [e] pedibus latenter opponit.

Ita-

a *Summa ergo prudentia* - Bon. *providentia* omnino prave; nam quæ provisione vitari non possunt, nec hominum providentia caveri queunt; sed potius prudentia utendum contra ea, quæ ingruere noscuntur.

b *Pedetentim* - Bon. *pedetemptim* - Al. *prædetemptim*.

c *Incedere* - Al. *procedere* - Al. *ambulare* Al. *ire*

d *Quoniam utrobique saltus insidet* - Bon. *quoniam ut utrobique* &c. Al. *Saluti insidet. Quasi insidias parat*, locum aptum ad insidias occupando; *Insidere* enim locum ali-

aliquem, idem valet ac occupare illum. Silius Ital.L.V. Pun. Init.

*Ceperat Etruscos occulto milite colles*
*Sidonius ductor, perque alta silentia noctis*
*Silvarum anfractus cæcis* insiderat *armis*.

Vide Heins. ibid.& Gronov. ad Livii L.XXII.Cap.XXX. Male ergo Alii legunt *incidet*, *intendit* pessime Betuleius *Salus insidet* & Heum. *Saluti insidiat*, nam Eras.ait: id inductum est a venatoribus ex Virgil. IV.Æn.v. 121.

. . . . . . . *Saltusque indagine cingunt*.

Ubi enim saltuosa sunt loca, ibi facile parantur insidiæ: unde Livius XXVII. Cap. XII. *Aperta erat regio sine ullis ad insidias latebris: itaque in loca saltuosa cedere inde cæpit* - Vide Stephanos in *insideo* hunc locum indicantes.

e *Et offensacula* - Diminutivum insolens ab offensa, quod active significat, inquit Betuleius. Schotti legit *offensaclum* Prudent. Psych. v. 485.

*Cæcum errare sinit, perque offensacula multa*
*Ire* . . . .

*Idem Apotheos.* v. 45.

*Lapis ecce nostro fixus offensaculo est*

Apulejus IX. Metam. pr. - *Crebris offensaculis, & assiduis lapsibus jam contusis cruribus meis*.

## 9.

Itaque res tuas prosperas [a], in quibus nunc agis [b], suadeo, ut pro tua virtute aut contemnas, si potes, aut non magnopere mireris. Memento, & veri parentis tui [c], & in quam civitatem [d] nomen dederis [e], & cujus ordinis fueris [f].

a *Res tuas prosperas*-Iſæus, aliique nonnulli legunt *proprias*.

*prias*. Schotti delet: *tuus*; ſed nihil mutandum; ſuperius enim Seg. 5. *proſpere fluere* dixit Noſter, phraſi Ciceroniana, qua etiam dicitur *fortuna proſpera* III. de Nat. Deor.

b *Nunc agis* - Bon. *ages*,

c *Memento & veri Parentis tui* - Al. *memento tamen* Hinc S. Hieronym. in Epiſtol. ad Heliod. - *Recordare, inquit tyrocinii tui dies, quo Chriſto conſepultus in Sacramenti verba juraſti*. Nullus enim dubito, quin Lactantius heic myſtice parentem verum Deum appellet, ut L. V. Cap. III. Seg. 25. Quia tamen paullo infra, mentio fit *ordinis*, in quo Demetrianus fuerat, & excuſatio additur, ne ſcilicet putet, ſe ſuperbiæ a Lactantio argui, quaſi fortuna elatus verendum eſſet, ne ea abuteretur is, cui librum hunc nuncupabat, ſuſpicor poſſe etiam intelligi de homine, a quo erat genitus, fortaſſe ex ordine plebejo, quem non ideo deſpicere debebat: etſi eſſet a nobiliori adoptatus, ut innuit Demetriani nomen, quod adoptionis videtur; ſive potius de eo viro, qui Chriſto Demetrianum genuerat; juxta illud Apoſtoli I. ad Catrinth. 15. *In Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui*- Siquidem in Epiſt. III. quæ ſub nomine S. Clementis Papæ I. circumfertur, legimus - *Si quis fidelis voluerit exiſtere, & deſideret baptizari, accedat ad Sacerdotem ſuum, & ab eo audiat myſteria .... Eum pro parente habeat* &c.

d *Et in quam Civitatem nomen dederis*- Sic Aldus correxit. Alii fere omnes - *in qua Civitate* - Sed meo judicio magis appoſite dicitur heic *in quam Civitatem*: quoniam qui Chriſtianus fit, Chriſto militare ſe velle profitetur, & Civis fit Cæleſtis Jeruſalem, ideoque in eam Sanctam Civitatem nomen dare dici debet, Livio præeunte, qui L. IV. Bell. Maced. ait - *Latini, qui in Coloniam Romanam nomina dediſſent, Cives Romani eſſent*. Item quum dent nomen *in Civitate*, qui in ea nati ſunt: & dent nomen *in Civitatem*, qui a patria in aliam tranſeunt, ſi-

ſignificare poterit civis in ea fieri,& in Civium albo recenſeri; infideles enim ad Chriſti fidem converſi, Cives putabantur illius Urbis, in qua baptiſmum ſuſcipiebant, quum ſpiritualis generatio, generationi naturali æquiparetur, ut habetur in Cap. IV. de Bapt. ſ. *Quum ibi* Luc. de Pen. in l. Cives VII. C. de Incol. L. VII. n. 3. v. 3. Marquard. de Suſan in tract. Judic. p. 3. Cap. 2. n. 13., & Alii Interpr. Jur. Can. in Cap. *Statutum* de reſcript. in VI. ſ. *Quum vero*. Civil. autem in titul. ff. ad *Municipalem*, & *de Incolis*. Si tamen legere mavis *in Civitate*, itellige Eccleſiam, vel etiam Urbem, in qua baptiſmum Demetrianus ſuſceperat: quam ſi alia ſuppeterent adminicula, Firmum Lactantii noſtri patriam, fuiſſe dicerem, quia quum de conſtantia, ac animi firmitudine ſermo heic ſit inſtitutus, apte diceretur a Lactantio *Memento . . . in qua Civitate nomen dederis. Decet enim Firmanum Civem firma ſemper fide, more majorum a bene incæptis numquam abſciſcere*. Vide Diſſ. II. ubi de Firmanorum conſtantia plurima recenſentur a ſ. XIII.

e *Nomen dederis* - Mos erat antiquis Eccleſiæ temporibus prius quam adulti baptizarentur, ut ipſi nomen darent Epiſcopo, & inde reciperent ab eo Symbolum Chriſtianorum, ſi interrogati de ſymbolo Catechumenorum bene reſpondiſſent. Unde S. Siricius Papa, qui Sedem D. Petri uſque ad an. CCCXCVIII. tenuit, ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum ſcripſit Epiſt. Cap. II. - *Solis per annum diebus Paſchæ, & Pentecoſtes ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi convenit ſacramenta his dumtaxat; qui ante xl, vel eo amplius, dies nomen dederint*. - Adde S. Greg. Nyſſen. *in Oratione adv. eos qui differunt Bapt.* S Cyrill. Hieroſol. *in Præf. ad Catech.* & Catech. III. S. Auguſt. L. IX. Confeſ. In quacumque autem Eccleſia peculiaris liber erat, quem *matricalam* appellabant, in quo baptizando-

dorum, ac baptizatorum nomina describebantur, eumque Codicem *librum vitæ* nominabant. Vide Dodvvell. Diss. V. Cyprian. ad Epist. X. & Diss. nostram XXXV, C. II. §. II.

f *Et cujus ordinis fueris* - Ordinis vocabulum multifariam accipi potest: heic autem quum de eo sumi debeat, in quo jamdudum fuerat Demetrianus, & amplius non erat, nescio quid proprie sibi velit; non enim videtur de aliquo ex tribus profanis ordinibus, Equestri, Senatorio, & Plebejo, apud Romanos usitatis, mentio fieri; nisi dixeris, eum ex plebejo ordine ad Magistratum aliquem elatum fortuna, industria, aut Principum benevolentia. Heum. addit - *Videtur Demetrianus dissimulata Christiana religione suscepisse munus publicum. Meminisse igitur eum jubet Lactantius, cujus ordinis, sive in qua secta fuerit* - quæ expositio ideo non mihi probatur, quia non solum fuerat; sed adhuc Christianus erat Demetrianus. Potius ergo intelligendus erit ordo iste, unum ex illis fuisse, quos gradus appellabant primitivi Christiani, & qui convertebantur ab uno in alium statis temporibus ascendebant puta *Consistentium* intra Ecclesiam, de quibus dicturi sumus Diss. XXXI. Cap. IV. §. VII.

 10. 

Intelligis profecto quid loquar [a], nec enim te superbiæ arguo, cujus in te ne suspicio quidem ulla est: sed ea, quæ dico, ad mentem referenda sunt, non ad corpus, cujus omnis ratio ita comparata est [b], ut animo tanquam domino serviat, & regatur nutu ejus. Vas

a *Intelligis profecto quid loquar* - Bon. *Intellegis* - Verba

ba hæc arcani disciplinam indicant, de qua vide Diss. XXIX. Cap. XI. §. III.

b *Cujus omnis ratio ita comparata est*, *ut* &c. Sic omnino cum melioribus legendum, ubi Bon. habet *ideo* pro *ita*.

 11. 

Vas est enim quodammodo fictile [a], quo animus, id est, homo ipse verus [b] continetur, & quidem non a Prometheo fictus [c] (ut poëtæ loquuntur) sed a summo illo rerum conditore, atque artifice [d] Deo, cujus divinam providentiam, perfectissimamque virtutem nec sensu comprehendere, nec verbo enarrare possibile est. Tentabo [e] tamen, quoniam corporis, & animi facta mentio est, utriusque rationem, quantum pusillitas [f] intelligentiæ meæ pervidet, explicare.

B Quod

a *Vas est enim quodammodo fictile*- Al. *Vas est quidem*.

b *Quo animus*, *id est homo ipse verus* - Walchius heic notat, homines nos esse non tantum ratione animi, sed etiam ratione corporis, nesciens Lactantium *Animum*, ab *Anima* bene distinguere infra Cap. XVIII. præcipue Seg: 3. & lib. VII. D. Inst. C. XII. Seg. 9. Sed etiam si pro Anima rationali sumatur, quod quidem nec ignorabatur, nec negatur a Lactantio, potuit heic animus sumi pro hominis constitutivo, & pro toto homine, ut sæpe in Scripturis Sanctis, & apud Virgil. Æn. L. XI. v. 24. *Ite*

c *Angustis finibus terminavit* - Libri *de Republica*, quos ad imitationem Platonis scripsisse Cicero dicitur, exciderunt, alibi tamen ut statim videbimus, hoc idem argumentum Tullius pertractavit, utpote quod aptissimum esse noscitur ad expugnandam opinionem eorum, qui cum Epicuro Providentiam negant. Vide Basilium, Ambrosium, Gregor. Nyssen., Theodoretum, aliosque, de quibus meminimus Diss. XXVII. Cap. I. a §. VIII.

d *Leviter* - Bon. *Laeviter*.

e *Summa quaeque*-Schottus *summatimque* ex Cod. Caesarug. Al. *Summatim quaeque*; sed prava lectio est, quum statim hocce adverbium sequatur.

 13. 

Ac ne ulla esset excusatio, cur eum locum non fuerit executus, ipse testatus est, nec voluntatem sibi defuisse, nec curam. In libro enim de Legibus primo, cum hoc idem summatim stringeret [a], sic ait: * *Hunc locum satis (ut mihi videtur) in his libris, quos legistis, expressit Scipio* [b] **.

a *Summatim stringere* - Schotti - *perstringere*

b Expressit Scipio - Cicero l. de Legibus primo testatur, Scipionem sex libros de *Republica optima* scripsisse, qui tamen non extant.

* Cic. de leg. l. 1. c. 9. ** Id: *de Nat. Deor. l. II.*

 14. 

Postea tamen in libro de Natura Deorum secundo [a], hoc idem latius exequi cona-

natus est. Sed quoniam ne ibi quidem [b] satis expressit, aggrediar hoc munus [c], & sumam mihi audaciter [d] explicandum, quod homo disertissimus pene omisit intactum.

a *In Libro de Natura Deorum secundo* -Bon. duo prima verba omisit, sic etiam Aldus; sed Alii fere omnes retinent.

b *Ne ibi quidem* -Al. *nec ibi quidem*.

c *Aggrediar hoc munus* - Bon. *Adgrediar* - Al. *Aggredior*.

d *Audaciter* - Al. *audacter*.

 15. 

Forsitan [a] reprehendas, quod in rebus obscuris coner aliquid disputare, cum videas [b] tanta temeritate [c] homines extitisse, qui vulgo philosophi nominantur, ut ea, quæ abstrusa prorsus, atque abdita Deus esse voluit [d], scrutarentur, ac naturam rerum cœlestium, terrenarumque conquirerent, quæ a nobis longe remotæ, neque oculis contrectari [e], neque tangi manu, neque percipi sensu [f] possunt. Et tamen de illarum omnium ratione sic disputant, ut ea, quæ afferunt [g], probata, & cognita videri velint.

Quid

a *Forsitan* - Bon. *Forsitam*.

b *Quum videas* - Hæc eadem, inquit Isæus, *ajebat Socrates apud Xenophontem* - Sed heu! Immane quantum

tum distant ! Nam Socrates juxta Xenophontem, Bessarione inrerprete, *de natura rerum omnium non ut quam plurimi alii, disputabat, nec quemadmodum, qui a Sophistis mundus vocatur, se habeat, ille considerabat: imo vero illos, qui in hujuscemodi contemplandis vacant, stolidos esse monstrabat*. De fact. & dict. Socrat. l. 1. p. 158. Lactantius vero eos solummodo redarguit, qui rerum abditarum rationem reddere præsumunt, & ea, quæ afferunt, probata, & cognita videri volunt, quamquam vix aliquando probabilia sunt. Ille Scepticorum semina jecit. Iste prudentiæ philosophicæ monitum præbuit. Vide Diss. nostram xxiii. §. ix.

c *Tanta temeritate* - Id vehementer dictum magis, quam ex arte, inquit Erasmus; *Magis faciebat ad id, quod agit, si dixisset, philosophos industria sua, naturæ res abditissimas investigasse, & a sensibus nostris longissime semotas ... Nec verum est, quod Deus Cælestium, ac terrestrium rerum caussas noluit a nobis inquiri, imo in hoc edidit hoc mirandum spectaculum, ut in eo versantes, perspiceremus Opificis æternam sapientiam, bonitatem, ac potentiam. Quorsum autem attinebat deprecari temeritatem in argumento sensibus omnibus obvio, tum a tam multis Celebribus Scriptoribus tractato, nominatim a Platone compluribus locis, ab Aristotele lib. De Nat. Anim., rursus l. de Anima, a Plinio: postremo a Medicis, qui tradunt anatomiam? Magis excusandum erat, quod publicam materiam, & a nemine non tractatam suscepisset*. Hactenus Erasmus, quem merito *Murem errantem* appellavit Stapletonus; ubi enim non habet quid edat, infesto tamen dente rodit quidquid obviam fit ei. Quis unquam erit, qui collatis Lactantii nostri sententiis non videat, id ab Erasmo reprehendi, quod nullo pacto a Scriptoris nostri mente proficiscitur? Te judicem, lector appello, post-

quam totum hocce Firmiani opus perlustraveris. Siquidem quod nemo ex tot philosophis in eodem argumento perfecerat, quum inde eruere vellent, quod sciri omnino non poterat, id Lactantius ita confecit, ut ex hominis formatione providentiam Dei demonstraverit, quod nec Cicero, nec Plato, nec Aristoles fuerant adversus Epicurum assecuti.

d *Atque abdita Deus esse voluit* - Schottus Erasmum secutus, *imo*, inquit, *Cæli enarrant gloriam Dei* Psal. 181. Quasi idem foret, rerum creatarum ordinem, Opificium, atque mirabilem structuram intueri, mirari; ac earundem naturam sic ad intima penetrare, ut nihil prorsus ignotum hominibus, ingenio præditis, remanere debuerit. At varietas ipsa, & discrepantia opinionum, plerumque absurdarum, de rerum creatarum essentiis, atque proprietatibus, a philosophis cum antiquis, tum recentioribus in vulgus disseminatarum, Eorundemque de propria ignorantia confessiones, Schottum, & Erasmum docere poterant, quæ sibi Deus reservaverat, & hominibus ignota voluerat, ut omnipotentiam ejus, longe humanis ingeniis superiorem, taciti adorarent, potius quam Lactantium carpendo, vanam eruditionem imprudenter jactarent. Siquidem clara sunt Divini Oraculi verba Eccles. III. v. 11. *Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem* - Quamvis ex his operibus suis, quæ intelligi nequeunt, si recte quis ratione utatur infinitam Dei potentiam noscere possit Rom. 1. v. 20. *Invisibilia enim ipsius a Creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Vide Diss. XXIII. c. 1. §. IX. & heic Seg. 16.

e *Neque oculis contrectari* - Bonon. *oculis contueri* Sic legit etiam Aldus. Duo sunt, quæ me ab hac lectio-

ctione prohibent: Scilicet Verbi natura, quæ passivo sensu sumi, ac construi non debet, & singularis nostri Codicis authoritas adversus omnes alios, quos ipse, aliique vidimus. Cellarius legere maluit *collustrari*, quem proinde merito castigavit Heumannus. Jo: Clericus Cellario præiverat *in arte Crit.* part. III. Sect. I. Cap. 9. n. 7. & quum postea eandem phrasim a Tacito, & Ovidio usurpatam deprehendisset, illum emendare, hunc excusare potius voluit, quam retractare, quod dixerat. Quantum tamen contra boni critici munus peccaverit vide Diss. xxi. §. 1. v. *contrectare*. Et Diss. xxxviii. Cap. III. §. vi.

f *Neque percipi sensu* - Sic Schottus, & Aldus Al. *sensibus* - Sed prave, quia heic, ut l. 1. cap. iii. Seg. 15. l. 11. cap. v. Seg. 15. &c. *Sensu*, id est *ingenio*, aut *ratione* explicant eruditi; facta enim sensuum enumeratione, perperam de illis collective idem dixisset. *Sensu* ergo in singulari pro *mente*, & sensu communi optime sumitur, ut l. c. clarius videbimus.

g *Quæ afferunt* - Sic Aldus. Al. *asserunt* - Sæpe *affero* in hoc sensu apud nostrum reperies infra.

 16. 

Quid est tandem, cur nobis invidiosum quisquam putet, si rationem corporis nostri dispicere, & contemplari [a] velimus? Quæ plane obscura non est [b]: quia ex ipsis membrorum officiis, & usibus partium singularum, quanta vi providentiæ quidque factum sit [c], intelligere nobis licet.



a *Dispicere, & contemplari* - Ita etiam Aldus Al. *inspi-*

*ſpicere* Al. *deſpicere* Noſtra Lectio omnino retinenda, *diſpicere* enim, ut bene Valla obſervavit idem valet ac *circumſpicere mente*, *tamquam in omnem partem lumina mentis intendere*, *omniaque diſcernere* - Quod proprie in hoc Opere mirifice Lactantius peregit.

b *Quæ plane obſcura non ſunt* - Vel ex hac ſententia dignoſcere poterant Eraſmus, & Schottus quam longe a Lactantii mente aberraverit Seg. 15. Schottus, *quia a multis tractata*, inquit, *Ariſtotele*, *Plinio Medicis*.

c *Quidque factum ſit* - Aldus ita legit, nec aliter Schottus Al. quiſque *factus ſit*- Al. *quidquid factum ſit*. Heumannus - *Ego vero*, inquit, *contendo ſcribendum ita eſſe* - *Quæque* (*pars*) *facta ſit* - Sua tamen contentione neminem a probata Lectione deterruit.

## CAPUT II.

 I. 

DEdit enim homini artifex ille noſter, ac parens Deus ſenſum, atque rationem, ut ex eo appareat, nos ab eo eſſe generatos, quia ipſe intelligentia, ipſe ſenſus, ac ratio eſt a.

Cæ-

a *Ipſe intelligentiam*. *Ipſe ſenſus*, *ac ratio eſt*- Schottus *atque ratio* - En *ſenſus* pro *mente*; non tamen quæ eadem ſit in omnibus una, & eadem; alias enim ſe ipſam, quatenus in Deo eſt, produceret in nobis, idemque eſſet efficiens, & effectum. Vide Diſſ. XXIV. a §. I. ubi contra Spinozam diſſeruimus, cujus impiam, ac ridiculam opinionem, ante quam in ejus mente oriretur,

tur, Lactantius noster dissipaverat, qui heic caussam humanæ rationis assignat, unde lex omnis originem ducit, quod non solum Doctores nostri docent, sed Cicero ipse novit *Lib. II. de Legib.*

 2. 

Cæteris animantibus quoniam rationalem istam vitam [a] non attribuit [b], quemadmodum tamen vita eorum [c] tutior esset, ante providit [d]. Omnes enim suis ipse pellibus texit [e], quo facilius possent vim pruinarum, ac frigorum [f] sustinere.

Sin-

a *Rationalem istam vitam* - Al. *Rationabilem* - Al. *vim* Al. *viam* Alibi inquit Betuleius, *visus est Lactantius astruere velle opinionem eorum, qui mutis animantibus rationem tribuunt: hic clare, quid sentiat, indicat. L. II. Cap. 3. religionum differentiam posuit.* Vide Diss. xxv. Cap. vi. §. iv. ubi demonstramus immerito id Lactantio tributum.

b *Attribuit* Bon. *Adtribuit*.

c *Quemadmodum tamen vita eorum* - Ita quoque Arist. iv. *de partib. Animal.* Cap. X. Cic. l. II. *de Nat. Deor.* Lucret. L. V. a ℣. 854.

*Nam quecumque vides vesci vitalibus auris*
*Aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas est,*
*Ex ineunte ævo genus id tutata reservans.*
*Multaque sunt nobis ex utilitate sua, quæ*
*Commendata manent tutelæ tradita nostræ.*

Vide ergo quam incongrue hæc omnia casu facta esse idem Lucretius asseruerit.

*An-*

d *Ante providit* - Francius marte suo *apte providit*.

e *Suis ipse pellibus texit* Bon. *suis ipse pilis* ut habet etiam Aldus. Al. *suis ex-se pellibus* Al. *suis ex se pilis* Heum. per conjecturam *exuviis*, & *pellibus* Erasmus *non omne*, inquit *animal tectum est pilis, aut etiam pellibus. Quædam enim muniuntur testa, quædam concha, quædam corio, alia squamis, alia pennis, alia setis, alia spinis, alia aculeis, alia villis, alia crustis, alia laminis* &c. *Quæ copiose tractantur ab Aristot. l. IV. de Part. Anim.*, *aliisque* &c. Quasi Lactantius ea ignorasset, aut omnino silentio præteriisset: sed quæ sequuntur id satis manifestant; ex quibus etiam constat *pelles* heic usurpari tamquam communem omnium animantium, & quidem *naturalem corporis vestem*: Ut Seg. 8. sese explicat infra Author noster. Ideoque temere, & inconsulte heic Erasmus, aliique eum secuti, argutati sunt. Vide infra C. VII. Seg. 2.

f *Vim pruinarum, ac frigorum* Aldus hanc lectionem habet Al. *vim pruinam, ac frigora* Al. *frigoris*.

 3. 

Singulis autem generibus ad propulsandos impetus externos sua propria munimenta constituit [a], ut aut naturalibus telis repugnent fortioribus: aut quæ sunt imbecilliora, subtrahant se [b] pernicitate fugiendi: aut quæ simul [c] & viribus, & celeritate indigent, astu se protegant, aut latibulis sepiant [d].

Ita-

a *Sua propria munimenta constituit* - Observa quam proxima sint, quæ ab Erasmo desiderabantur paullo su-

ſupra. Adde Minuc. Fel. in Octav. c. XVII.

b *Subtrahant ſe* Al. addunt *periculis* ſed non eſt neceſſe, præceſſit enim *repugnant fortioribus*, quibus alia ſe ſubtrahunt *pernicitate fugiendi*.

c *Aut quæ ſimul* &c. Bon. *aut quæ ſimulent pro aut quæ ſimul &* -

d *Aut latibulis ſepiant* Bon. *latibolis ſapiant*.

 4. 

Itaque alia eorum [a] vel plumis levibus in ſublime ſuſpenſa ſunt, vel ſuffulta ungulis, vel inſtructa cornibus. Quibuſdam in ore arma ſunt dentes, aut in pedibus adunci ungues, nullique munimentum ad tutelam ſui deeſt.

a *Itaque alia eorum* Vide Lucr. ubi ſupra.

 5. 

Si qua vero in prædam majoribus cedunt, ne tamen ſtirps eorum [a] funditus interiret, aut in ea ſunt relegata regione [b], ubi majora eſſe non poſſunt [c], aut acceperunt uberem generandi fecunditatem [d], ut & beſtiis, quæ ſanguine aluntur, victus ſuppeteret ex illis, & illatam tamen cladem, ad conſervationem generis multitudo ipſa ſuperaret.

Ho-

a *Stirps eorum* Bon. *Stirpis eorum*.

b *Aut in ea sunt relegata regione* Bon. *religata religionis* Aldus *in eam . . . regionem - religata regione*.

c *Ubi majora esse non possunt* Bon. omisit negationem, quæ in omnibus legitur, & ad integritatem lectionis pertinet.

d *Generandi fecunditatem* Bon. *fæcunditatem* per *æ* male Al. *fecunditatem* sine diphthongo, ut mos recentior, & usitatus in nummis. In inscrip. Apud Fabrettum *foecund.* Al. *generandi facultatem*.

 6. 

Hominem autem ratione concessa, & virtute sentiendi, atque eloquendi [a] data, eorum, quæ cæteris animantibus attributa sunt, fecit expertem: quia sapientia [b] reddere poterat, quæ illi naturæ conditio denegasset. Statuit eum nudum [c], & inermem, quia & ingenio poterat armari, & ratione vestiri.

a *Et virtute sentiendi, atque eloquendi* - Id est *intelligendi facultate, & sensa sua per loquelam exprimendi.*

b *Quia Sapientia* - Bon. *qui sapientia*. Male, nam ratio redditur, quare homini ea data non sit, quæ mutis ad suam tutelam impertitus est summus Opifex. Aldus, Schottus, aliique omnes nobiscum legunt.

c *Statuit eum nudum* Al. *statuit nudum* - Nostra lectio cæteris præstat, & novam inchoat periocham. *Statuit* idem heic valet ac *constituit*.

 7. 

Ea vero ipsa, quæ mutis data, & homini

ni denegata sunt, quam mirabiliter in homine [a] ad pulchritudinem [b] faciant, exprimi non potest. Nam si homini [c] ferinos dentes, aut cornua, aut ungues [d], aut ungulas, aut caudam, aut varii coloris pilos addidisset, quis non sentiat [e] quam turpe animal esset futurum, sicut & muta [f], si nuda, & inermia fingerentur?

---

a *Quam mirabiliter in homine* Aldus sic corrigit Al. *quam mirabiliter homini*.

b *Ad pulchritudinem* Bon. *pulchritudine*.

c *Nam si homini* Sic omnes, præter Langlet, qui habet: *si in homine*, & *Ita restitui*, inquit, *ex vetustissimis, & optimis Mss.*, sed fortasse cum superiori nota hanc secundam permiscuit. *Addere* enim *in* me numquam legisse memini.

d *Aut ungues* Aldus has voces delet marte suo; fortasse putans *Ungulam* diminutivum esse, non denominativum; sed fallitur, nam *Ungues* animalia illa habent, quæ digitis sunt prædita, ut Volatilia fere omnia, quæ in aquis cibum non quærunt, Canes, Simiæ, &c. Diminutivum *Unguiculæ*. Ungulas autem & habere dicuntur animantia, quibus digiti non sunt, quamquam alia solidas, alia separatas, & bifidas eas habere videamus. Equos puta, & Boves.

e *Quis non sentiat* Isæus, & Heum. *sentit* Aldus nobiscum legit.

f *Sicut & muta* Al. *sicut muta*.

 8. 

Quibus si detrahas vel naturalem sui corporis vestem, vel ea, quibus ex se arman-

mantur, nec ſpecioſa poterunt eſſe, nec tuta, ut mirabiliter, ſi utilitatem cogites, inſtructa: ſi ſpeciem, ornata videantur. Adeo miro modo conſentit utilitas cum decore [a].

a *Utilitas cum decore* Bon. *humilitas cum decore*.

9.

Hominem vero quoniam æternum animal [a], atque immortale [b] fingebat, non forinſecus, ut cætera, ſed interius armavit, nec munimentum ejus in corpore, ſed in animo poſuit: quoniam ſupervacuum fuit, quum illi, quod erat maximum, tribuiſſet, corporalibus eum tegere munimentis, quum præſertim pulchritudinem humani corporis impedirent [c] *.

a *Quem æternum animal* Bon. *quoniam* Error notæ compendiariæ male interpretatæ, ut ex Mss. apparet, in quibus utramque vocem eodem modo exaratam vidimus: Icciirco cum melioribus editis lego *quem*. Walchius autem notat, hoc verum eſſe, quod ad animam attinet. Sed Lactantius ad totum hominem immortalitatem refert ob id, quod habetur Job. de nomine poſt mortem æternum redivivo XIX. 25. *In noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum* &c.

b *Immortale* Bon. *inmortale*.

c *Pulchritudinem humani corporis impedirent*. Hiſce verbis Iſæus, & alia quædam tam Mss., quam edita exemplaria finem imponunt huic ſecundo capiti; nos ve-

vero cum aliis aliquantulum protrahimus Betuleio, Thomasio, recentioribusque præeuntibus.

* Al. C. III.

 10. 

Unde ego [a] philosophorum qui Epicurum sequuntur [b], amentiam soleo mirari, qui naturæ operam reprehendunt [c], ut ostendant, nulla providentia instructum esse, ac regi mundnm [d]: sed originem rerum insecabilibus, ac solidis corporibus [e] assignant [f], quorum fortuitis concursionibus universa nascuntur, & nata sint [g].

Præ-

a *Vnde ego* Bon. *Vnde ergo*.

b *Qui Epicurum sequuntnr* Bon. *secuntur.* Lucretium, aliosque intellige, de quibus sæpe infra, & præsertim Diss. XL. cap. XX., in quo de Epicuro, & ejus secta locuti sumus.

c *Naturæ operam reprehendunt* Al. *opera* Al. *reprehenderunt*.

d *Vt ostendant, nulla providentia instructum esse, ac regi mundum* Al. *structum* Hoc præcipuum est Epicureorum doctrinæ fundamentum, quod subvertendum suscepit Lactantius.

e *Insecabilibus, ac solidis corporibus* Atomos intellige, de quibus vide Diss. XXIV. Cap. II. §. I.

f *Assignant* Bon. *Adsignant*.

g *Vniversa nascantur, & nata sint* Al. *nascuntur, & nata sunt* Schottus legit nobiscum.

 II. 

Prætereo [a], quæ ad ipsum mundum pertinentia [b] vitio dant [c]: in quo ridiculi insaniunt [d]: id sumo, quod ad rem, de qua nunc agimus, pertinet.

a *Prætereo* Sic etiam Aldus, & Schottus Al. *Præterea*. Omnino prave; sequitur enim: *Id sumo*.
b *Pertinentia* - Hanc vocem aliqui omittunt.
c *Vitio dant* Bon. *Vitia dant*.
d *In quo ridiculi insaniunt* Al. *ridicule* fortasse non male.

## CAPUT III.

 I. 

QUeruntur, hominem [a] nimis imbecillum, & fragilem nasci [b], quam cætera nascuntur animalia [c], quæ ut sunt edita ex utero, protinus in pedes suos erigi, & gestire discursibus, statimque aëri tolerando idonea esse, quod [d] in lucem naturalibus indumentis munita processerint: hominem contra, nudum [e], & inermem; tamquam ex naufragio, in hujus vitæ miserias projici, & expelli: qui neque movere se [f] loco, ubi effusus est, possit, nec alimentum lactis appetere [g], nec injuriam temporis ferre.

Ita-

a *Queruntur, hominem* &c. Hisce verbis Aldus, Betu-

tulejus, Thomasius, aliique recentiores hocce Caput auspicantur.

b *Nimis imbecillum, & fragilem nasci* Bon. *inbecillum - Hanc locutionis formam*, inquit Erasmus, *Nescio an apud ullum authorem reperias*, *licet*, nimis quam *inveniamus pro* valde. *Neque enim est hic comparativum nomen*. Atque quam *pro* aeque atque *legimus*. *Hic* nimis quam *usurpavit pro* præ, *ut*, nimis imbecillum præ cæteris animantibus. Mox iterum nove usurpavit hanc vocem *statim quam*, pro *simulatque* - Sparkius, Heuman., Walchius idem repetunt, & horum secundus, Lactantium scripsisse contendit *nimio magis imbecillum*, quod Plautinum est dicendi genus; de quo vide Lexicon Parei.Bunem. vero putat esse ellipsin, & *magis* subaudiendum pro more Lactantii, qui singularis est in usu hujus particulæ. Adde H. Stef., & Nizolium, qui notant apud J. C. *quam* pro *magis*, seu *potius quam* esse frequentissimum Schottus pro *præ ut* usurpatum putat. Aldus notat *nimis quam* nec aliud addit.

c *Cætera nascuntur animalia* Al. *cætera animalia nascuntur* - Hæc habent Plinius in Præfat. ad l. VII. N. H. & Lucret. L. V. a ỷ. 223. adversus quos scripserunt Plutarchus, Aristotel., Galenus, S. Basilius, S. Gregor. Nissenus, & nuper Cardinalis de Polignac in suo Anti-Lucretio, quos vide si lubet. Illos præiverat Theophrastus, Tyrtamus antea dictus, qui morti proximus naturam accusasse fertur, quod Cervis, & Cornicibus vitam diuturnam, quorum nihil interest; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Vide Diss. nostram XXV. Cap. VI. §. XVIII.

d *Statimque aëri tolerando idonea esse*, *quod* Bon.

*aëre* Erasmus pro *quod* habet *quam*, & novum dixit esse *Tò statim quam*, non heic quidem, ut vides, sed l.VII. Cap. V.Seg.21. a Lactantio usurpatum. Sed eundem loquendi modum reperies apud Martianum de Off. Proconsf. *Omnes Proconsules statim quam Urbem egressi fuerint* &c.

e *Hominem contra nudum* &c. Gallæus ex Pricæo annotaverat, Tertullianum *de Carne Christi*, Plutarchum *de prolis amore* sic locutos fuisse, sed Plinius heic erat laudandus, quem author noster in hoc capite potissimum respicit, adversus naturam conquerentem, quod hominem solummodo nudum nuda humo Natali die abjecerit, cæteris vero animantibus varia tegumenta tribuerit: Hanc sententiam Plinius a Platone mutuasse videtur; nam Plutarchus, Pintiano interprete, in lib. *de Fortuna* - *Homo solus*, inquit, *secundum Platonem, nudus, inermis, sine calceamento, sine lecto a natura in medium abjicitur*. Hermolaus Barbarus Naturæ patrocinium suscepit, Aristotelis authoritate, & rationibus fultus lib. II. *de Gen. Anim.*

f *Qui neque movere se* Bon. *moveri se*.

g *Appetere* Bon. *adpetere*.

 2. 

Itaque naturam non matrem esse [a] humani generis, sed novercam: quæ cum mutis tam liberaliter gesserit [b]: hominem vero sic effuderit, ut inops, & infirmus, & omni auxilio indigens, nihil aliud possit, quam fragilitatis suæ conditionem ploratu, ac fletibus ominari [c]: scilicet,

*Cui tantum [d] in vita restet transire malorum...* *

Quæ

a *Itaque naturam non matrem esse humani generis, sed*

*sed novercam* - Vide Senecam de Benef. c. XXIX., & Jacobum Thomaf: in præfat. prima suæ Collect. ubi naturam vindicant ab hac censura.

b *Quæ cum mutis tam liberaliter gesserit* Al. *se gesserit* - Sed pronomen omitti potest, & a nostro sæpe usitatus est hic loquendi modus. Schottus *egerit*.

c *Conditionem ploratu, ac fletibus suis ominari* - Sic Aldus. Al. *Tò suis* non habent Al. *fletu*. Schottus lineam duxit sub *Tò* fletibus. Al. *Conditionem plorare* Bon. *condicionem* sic semper Al. *condicionem... nominari* Al. *flectibus suis* Plinius ubi supra *suppliciis vitam auspicatur* Bon. *fletibus suis somniari*.

d Ut tantum Bon. *ut tamen*.

* Luc. l. v. ℣. 228.

 3. 

Quæ cum dicunt, vehementer sapere [a] creduntur, propterea quod unusquisque inconsideratæ suæ conditionis ignarus [b] est. Ego vero illos nunquam tam desipere contendo [c], quam quum hæc loquuntur.



a *Vehementer sapere creduntur*: scilicet ad Sæculi ingenium, quod propterea revixisse putamus, quoniam similiter desipientes, magnis laudibus extolli a desipientioribus non semel legimus in libris hodiernis, & paginis literar. ephemeridum &c.

b *Suæ conditionis ignarus* Bon. & Aldus *suæ conditioni ingratus* Al. *suæ conditioni ignarus*.

c *Tam desipere contendo* Al. *tantum desipere* &c. Al. *magis desipere*, Al. *magis decipere*.

 4. 

Considerans enim conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuisse [a], ut non dicam, potuisse: quia Deus potest omnia [b]: sed necesse est, ut illa providentissima majestas [c] id effecerit, quod erat melius, & rectius.

---

a *Nihil fieri aliter debuisse* Al. addunt *quam factum est*.

b *Quia Deus potest omnia* optime quidem, nam nihil est, quod a Deo magis, atque magis perfici non possit, si velit.

c *Ut illa providentissima Majestas* Al. *quod illa* Al. utramque particulam omittunt Al. *prudentissima* nobiscum Schottus, & Meliores legunt: Aldus secundam vocem excludere voluisse videtur, aut tertiam: diversimode enim eas notavit.

 5. 

Libet igitur interrogare istos divinorum operum reprehensores, quid in homine deesse [a], quia imbecillior nascitur, credatur [b]? num idcirco minus educantur [c] homines, num minus ad summum robur ætatis provehantur [d], num imbecillitas aut incrementum impediat, aut salutem: quoniam quæ desunt, ratio dependit [e]?

At

---

a *Deesse* Aldus *deesset* v.

b *Credatur?* Al. *credant?* Aldus *nasci credatur*.

c *Educantur* Al. *educentur*.

d *Robur ætatis provehantur?* Bon. *proveantur?*

e *Ratio dependit?* Ideſt *compenſat* Aldus *deprehendit* Heum. *rependit* Al. *reprehendit* Schottus *compenſas intelligit*.

## 6.

*At hominis*[a], inquiunt[b], *educatio maximis laboribus conſtat. Pecudum ſcilicet conditio melior*[c], *quod hæ omnes*[d] *quum fœtum ediderint, non niſi paſtus*[e] *ſui curam gerunt*[f]. *Ex quo efficitur, ut uberibus ſua ſponte diſtentis, alimentum lactis fœtibus miniſtretur, & id, cogente natura, ſine matrum ſolicitudine*[g] *appetant*[h].

 Quid

a At hominis, *inquiunt*, Bon. ad homines. Sed peſſime, nam Epicureorum verba ſunt, quæ ab eis contra hactenus dicta reponebantur.

b *Inquiunt* Al. *inquit*.

c Pecudum scilicet conditio melior Bon. *condicio* Al. *Pecudum ſcilicet, atque armentorum* Aldus *armentorumque* Ironice hiſce verbis Lactantius exponit Epicuri ſententiam.

d *Hæ omnes* Al. *Tò omnes* non habent Bon. *eæ cum fetum edederint*.

e Non nisi pastus Al. *partus* ſed male; nam heic ſollicitudo partus mutis animalibus denegatur.

f Sui curam gerunt Al. *gerant*.

g Sine matrum sollicitudine Al. *ſolicitudine*,

Bun:

Bon. cum aliis nonnullis *Tò Matrum* expungit, quamvis non ignoraverit hanc vocem legi apud Ciceronem, a quo hæc ſententia videtur mutuata L.II.de N.D.C.51. *In iis animantibus, quæ lacte aluntur, omnis fere cibus matrum lacteſcere incipit: eaque, quæ paullo ante nata ſunt, ſine magiſtro, Duce natura, mammas appetunt, earumque ubertate ſaturantur.*

h *Appetunt* Bon. *Adpetant.*

 7. 

Quid aves? quarum ratio diverſa eſt: non ne maximos ſuſcipiunt in educando labores ut interdum aliquid humanæ intelligentiæ habere videantur? Nidos enim aut luto ædificant, aut virgultis, aut frondibus conſtruunt [a]: etiam ciborum expertes [b], incubant ovis: & quoniam fœtus de ſuis corporibus alere non datum eſt [c], cibos convehunt, & totos dies in hujuſmodi diſcurſatione [d] conſumunt. Noctibus vero defendunt, fovent, protegunt.

a *Aut frondibus conſtruunt* Al. *Et frondibus* Aldus *aut e frondibus.*

b *Etiam ciborum expertes* Al. *& ciborum.*

c *Non datum eſt* Al. *datum non eſt.*

d *Diſcurſatione* Al. *Diſcurſione.*

 8. 

Quid amplius homines facere [a] poſſunt? niſi

nisi hoc solum fortasse, quod non expellunt adultos, sed perpetua necessitudine, ac vinculo charitatis [b] adjunctos habeant [c]?

a *Homines facere* Al. *facere homines*.
b *Vinculo charitatis* Al. *caritatis*.
c *Adjunctos habeant* Al. *habent*.

## 9.

Quid, quod avium foetus multo fragilior est, quam hominis [a]? quia non ipsum animal edunt [b], sed id, quod materni corporis fotu [c], & calore tepefactum, animal efficiat: quod tamen quum spiritu fuerit animatum [d], (id vero implume, ac tenerum) non modo volandi, sed ambulandi quoque usu caret [e].



a *Quam hominis* Bon. *homines*.
b *Quia non ipsum animal edunt* Al. *quia non materno corpore ipsum* &c. Al. *non matrimonio* - De Oviparis heic sermo est, ideoque subditur: nobiscum legit Aldus.
c *Sed id, quod materni corporis fotu* Aldus Tò *id* non habet Bon. *foetu* Al. *fetu* sed male, ut vox quae sequitur indicat scilicet *& calore* Fotus incubantis actio est; unde Cicero II. de N. D. *Anatum ova gallinis saepe supponimus, ex quibus pulli orti primum aluntur ab iis, ut a matribus, a quibus exclusi, fotique sunt* - Isaeus edididit - *Sed quoque materni corporis forte*.
d *Quod tamen quum spiritu fuerit animatum* - Intellige de spiritu animali, qui In semine residet, per quod

quod ovum fæcundatur. Vide Diss.XXV. Cap. II. §. III. Al. *faciat animatum*.

e (*Id vero implume, ac tenerum*) *non modo volandi, sed ambulandi quoque usu caret* - In nostro Bon. Ms.Codice omnium antiquissimo post *Tò tenerum* unam, aut alteram vocem abrasam fuisse manifeste apparet. Bun., & Erasmus quinque primas voces parenthesi includunt. Heuman. eas habuit pro glossemate, nos nullo pacto locum depravatum sanare potuimus, quum in omnibus tam editis, quam Mss., quæ vidimus exemplaribus lectionem eandem invenerimus. Bun. putat *Tò quum* valere heic *etsi*, *licet*; ita, ut sensus sit - *quod etsi fuerit animatum, tamen quamdiu implume, ac tenerum est volandi, ambulandi* &c. *usu caret*.

 10. 

Non ergo [a] ineptissimus sit, si quis putet male cum volucribus egisse naturam, primum quod bis nascantur [b], deinde, quod tam infirmæ, ut sint quæsitis per laborem cibis [c] a parentibus nutriendæ? Sed illi fortiora eligunt, imbecilliora prætereunt.

Quæ-

a *Non ergo* Al. *Num ergo* Schottus *Num Ergo non*.

b *Quod bis nascantur* Bon. *Vix nascantur* prave, nam sermo est de avibus, quæ sunt oviparæ, ac proinde bis quodamodo nascuntur, primum ovo contentæ, deinde eodem incubato, & excluso. Vide Malpighium *de Ovo incubato* Al. *nascuntur*.

c *Quasitis per laborem cibis* Bon. *Civis* v pro *b* vetustatis indicium.

 11. 

Quæro igitur ab his [a], qui conditionem pecudum suæ præferunt, quid eligant, si Deus his deferat optionem, utrum malint humanam ne sapientiam [b] cum imbecillitate, an pecudum firmitatem cum illarum natura [c]?

a *Quæro ab his* Al. *iis*. Item eodem modo paullo infra.

b *Humanam ne sapientiam* Al. *Tò ne* omiserunt. Aldus legit nobiscum.

c *Cum illarum natura?* Bon. *cum illarum naturam* sæpe addit *m* in similibus.

 12. 

Scilicet non tam pecudes sunt [a], ut non malint vel fragiliorem multò, quam nunc est, dummodo humanam, quam illam irrationabilem firmitatem. Sed videlicet prudentes viri neque hominis rationem volunt cum fragilitate, neque mutorum firmitatem sine ratione.

Quod

a *Scilicet non tam pecudes sunt* - Inter hocce & superius segmentum nonnulli cum Isæo & Thomasio interserunt hæc verba - *Quid optant? Quid eligunt?* Quæ quum spuria credita fuerint a Cellario, Walchio, & Heumanno, Bunemannus deceptus recepit præsidio Bononiensis antiquissimi Codicis Ms., a quo tamen abesse

eſſe teſtamur quamquam Aldus ex *Longobardico* Bononienſi S. Salvatoris Codice Ms. eadem verba, omiſſa in editione parentis ſui, ſua manu reſtituerit. Hinc collige diverſita ejuſdem Codicis a noſtro, quam alias etiam ſæpe deprehendimus.

 13. 

Quod nihil eſt tam repugnans [a], tamque contrarium: quod unumquodque [b] animal aut ratio inſtruat neceſſe eſt, aut conditio naturæ. Si naturalibus munimentis inſtruatur, ſupervacua ratio eſt. Quid enim excogitabit [c]? quid faciet? quid molietur? aut in quo lumen illud ingenii oſtendet, cum ea, quæ poſſunt eſſe [d] rationis, ultro natura [e] concedat?

Si

a *Quod nihil eſt tam repugnans* Bon. puncta duo ſub ultima littera ponit, quæ nota correctionis eſſe ſolent. Eraſm. *Nova*, inquit, *loqnendi figura*: Pro eo quod erat: *Nihil eſt pugnantius*. Schottus - *At quo*: *ut ſic pugnans*: *poſitum pro repugnantius*. Iſæ: *Quare nihil* & Heum. Marte ſuo. *Sed nihil* &c. Al. *quo nihil* Wal. *rectius forſan* quo: Bun. *At nihil* Aldus nobiſcum legit, corrigendo *Tò quare* in editione parentis ſui. Et bene; nam *quod* heic valet, ac *quamobrem*.

b *Quod unumquodque* Al. *Sed unumquodque* Al. *Ut unumquodque*. *Quod* Al. *& quia quod unumquodque* Al. *Sed unumquodque Tò quod* heic idem valet ac *quia*, iccirco nihil immutandum.

c *Quid enim excogitabit? quid faciet? quid molietur?*

*tur?* Al. *aut quid molietur* Bon. *quid excogitavit?* *v* pro *b*, ut alibi.

d *Quæ possunt esse* Bon. *quæ possint*.

e *Vltro natura* Bon. *ultra natura*.

 14. 

Si autem ratione sit præditum: quid opus erit sepimentis [a] corporis? cum semel concessa ratio naturæ munus possit implere [b] quæ quidem tantum valet ad ornandum, tuendumque hominem: ut nihil potuerit majus, ac melius [c] a Deo dari.

a *Sepimentis* Bon. *Saepimentis*.

b *Implere?* Bon. *inplere?*

c *Majus, ac melius* Al. *aut melius*.

 15. 

Denique cum & corporis non magni homo, & exiguarum virium, & valetudinis [a] sit infirmæ: tamen id, quod est majus [b], accepit, & instructior est cæteris animalibus, & ornatior.

Nam

a *Valetudinis* Bon. *Valitudinis*.

b *Tamen id, quod est majus* Al. *tamen quoniam id, quod est majus*.

 16. 

Nam quum fragilis, imbecillusque [a] nascatur, tamen & a mutis omnibus tutus est : & ea omnia, quæ firmiora nascuntur, etiam si vim cæli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt [b].

a *Imbecillisque* Bon. *inbecillesque* Al. *imbecillisque.*
b *Tuta esse non possunt* - Ob Librarii oscitantiam *Tò non* abest a nostro Ms. Bon.

 17. 

Ita fit, ut plus homini conferat ratio, quam natura mutis : quoniam illis neque magnitudo virium [a], neque firmitas corporis efficere potest, quo minus aut opprimantur a nobis, aut nostræ subjecta sint [b] potestati.

a *Neque magnitudo virium* sic Aldus, Aliique. Nonnulli contra habent nec magnitudo.
b *Subjecta sint* Bon. *sunt*.

 18. 

Potest ne igitur aliquis, quum videat boves lucas, cum immanissimis corporibus [a] ac viribus [b] servire homini, queri de opifice rerum Deo, quod modicas vires, quod parvum

a *Quum vident boves lucas cum immanissimis corpo-*

vum corpus [c] acceperit [d] ? nec beneficia in ſe divina pro merito æſtimat ? quod [e] eſt ingrati, aut quod [f] ( ut verius loquar ) inſani.

---

*poribus*, *ac viribus* Al. cum Iſæo, & Thomaſio *videt Boves*, *& Vaccas*, *aut Equos cum immaniſs*: &c. demptis duabus ultimis vocibus. Al. *Boves etiam*, *& Vaccas* Al. *Boves Lupos*, *& Vaccas* Al. *Boves Lucanos* Aldus *Boves Lucas lib. vetuſtiſ. Elephantos l.* Ex tot variantibus lectionibus manifeſte eruitur, Librarios ſcripſiſſe quod ipſi intelligebant, non autem quod inveniebant in exemplaribus. Lucæ Boves Elephanti a veteribus ſunt appellati, quia primum, Pyrri Regis bello, quum eos in Lucanis vidiſſent Itali, anno ab V. C. CCCCLXXII., *eos Boves Lucas vocarunt*, ut tradit Plin. l. VIII. Cap. 6. Vide Delrium ad Senec. Hippol. ℣. 351. ubi quoſdam refellit, qui *Lucæque Boves* interpretantur *Silveſtres*: legebant enim *Lucæque Boves* Lucr. l. V. a ℣. 1302.

*Inde Boves Lucas turrito corpore tetras*
*Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni*
*Sufferre*, *& magnas Martis turbare catervas*.

b *Ac viribus* - Heum. voces iſtas additas putavit; ſed non ita eſſe illud ſuadet, quod ſicuti immanitas corporis Elephantici opponitur parvitati corporis humani, ſic exiguis viribus ejuſdem ingens robur illius erat opponendum. Aldus haſce voces omiſſas ſuo reſtituit exemplari.

c *Parvum corpus* Bon. *parum corpos* forte *parum corporis*.

d *Acceperit ?* Al. *accepit ?*

e *Nec beneficia in ſe divina pro merito æſtimat quod* &c. Heum. vocem aliquam heic deeſſe non temere exiſtimavit, quam equidem, *ergo* aut quid ſimile fuiſſe reor. Al. punctum interrogationis geminant, Al. unum

unum tantumodo a *Poteſtne* uſque ad *æſtimant* apponunt. - Mea lectio eſſet - *Nec beneficia ergo in ſe divina pro merito æſtimant, quod eſt ingrati, aut quod, ut verius loquar, inſani.* Al. *loquamur.*

f *Aut quod* Relativum hocce Al. non habent. Al. pro *aut quod* legunt *immo*.

 19. 

Plato, ut hos [a] (credo) ingratos refelleret naturæ gratias egit, quod homo natus eſſet [b].

a *Plato ut hos* Al. *Melius igitur Plato* &c. Sed gloſſema eſſe proxime legenda demonſtrant: *quanto melius* &c. Nobiſcum legunt Aldus, & Schottus Aliique plurimi.

b *Naturæ gratias egit, quod homo natus eſſet.* Quidam addunt - *quod & ipſum quod ſit, non eſt hujus materiæ ponderare* - Spuria iſta hæc eſſe, ex Ottoboniano Codice 109. B. colligo, in cujus margine hæc diverſo charactere ſcripta ſunt, cum addito - *Nam ad l. III. pertinet ubi* NUMQUAM QUIDQUAM DICTUM ESSE IN REBUS HUMANIS DELIRIUS: *oſtenditur.* Vide l. III. Cap. XIX. Seg. 18. in quo iſta leguntur. Etiam a Schotto eadem verba delentur.

 20. 

Quanto melius, & ſanius, qui ſenſit [a] conditionem hominis eſſe meliorem, quam iſti, qui ſe pecudes natos maluerint [b]? Quos ſi Deus

a *Quanto melius, & ſanius, qui ſenſit* Bon. *quanto magis, melius* &c. Al. *qui ſentit.*

Deus in ea forte converteret [c] animalia, quorum fortem præferunt fuæ: jam profecto cupiant remigrare [d], magnifque clamoribus conditionem priftinam flagitent: quia non eft tanti robur, ac firmitas corporis, ut officio linguæ careas: aut avium per aërem libera difcurfatio, ut manibus indigeas. Plus enim manus præftant, quam levitas, ufufque pinnarum [e]: plus lingua, quam totius corporis fortitudo. Quæ igitur amentia eft, ea præferre, quæ, fi data fint [f], accipere detrectes?



CA-

b *Pecudes natos maluerunt* Al. *natos effe* Al. *maluerint* Aldus nobifcum legit; non autem Schottus.

c *Quos fi Deus converteret* Al. *converterit* noftram lectionem fequitur Aldus, qui tamen addit *eos*.

d *Cupiant remigrare* Bon. *emigrare* quæ fequuntur vulgatam lectionem probant. *Conditionem priftinam flagitent* vide Hiftoriam Nabuchodonoforis Regis Chaldæorum apud Daniel. Cap. IV. a ℣. 22. & Differt. Jo. Georg. Ducheim, & P. Auguft. Calmet - *de Metamorphofi Nabuchodonof.* Ne ad fabulas Lucii, aliorumque qui fimilia literis tradidere, te ablegem.

e *Quam levitas, ufufque pinnarum* - Sic etiam Aldus Al. *Pennarum* Bon. *laevitas*.

f *Quæ fi data fint* Al. *fuit* nobifcum legit Aldus.

# CAPUT IV.

 I. 

IIdem queruntur [a], homines morbis [b], & immaturæ morti [c] esse subjectos. Indignantur videlicet, non Deos se esse natos [d]. *Minime*, inquiunt [e], *sed ex hoc ostendimus f, hominem nulla providentia g esse factum, quod aliter fieri debuit.*

a *Iidem quæruntur* Bon. *idem quaeruntur* cum diphtongo in hoc sensu semper; sed male.

b *Homines morbis .... subjectos* Al. *hominem .... subjectum* hanc lectionem repudiat etiam Aldus.

c *Et immaturæ morti* Bon. *inmaturæ* Al. *mortis*.

d *Non Deos esse se natos* Al. *se esse* Al. *esse sanatos* Al. *esse senatus* quæ lectionem nostram confirmant.

e *Minime*, inquiunt, Epicurei scilicet, quibus Theophrastus subscripsisse videtur; is siquidem moriens accusasse naturam dicitur teste Tullio *l. III. Quæst.* Tuscul., quod Cervis, & Cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset, ut supra vidimus Cap. III. Seg. I.

f *Sed ex hoc ostendimus* Bon. *Tò ex* non habet.

g *Nulla providentia*: Bon. *nullam providentiam*.

 2. 

Quid si ostendam [a] id ipsum magna ratio-

a *Quid si ostendam* Al. *quod* Al. *ostendero* Al. *ostendo.*

tione provisum [b] esse, ut morbis vexari posset [c], ut vita sæpe in medio cursus sui spatio raperetur [d]? quum enim Deus animal, quod fecerat, sua sponte ad mortem transire cognovisset, ut mortem ipsam [e], quæ est dissolutio naturæ, capere posset, dedit ei fragilitatem, quæ morti aditum ad dissolvendum animal inveniret.

---

b *Provisum* Bon. *provisu*.

c *Vexari posset* Al. *possit*.

d *Ut sæpe in medio cursus sui spatio raperetur*? Al. *Et vita in medio ... rumperetur*? forte *& ut vita* Al. *vita sua in medio*.

e *Ut mortem ipsam .... capere posset, dedit ei fragilitatem* - Spark. heic laudatus a Walchio, & Bunemanno, *non id*, inquit, *dedit Deus, quod homo contraxit* - Sed falsa sunt apprehensione decepti; nam Deus hominem ex luto formavit, eundem immortalitate donaturus si fœdus initum servasset. Quia tamen novit ab æterno Adamum fœdus violaturum esse, & mortis pœnam pro prævaricatione subiturum, hinc ut is mortem capere posset, fragili nexu immortalem animam corpori ejusdem copulavit mortali; iccirco scite interposuit optimam mortis definitionem: scilicet: *Dissolutio naturæ*, de qua vide Diss. nostram XXV. Cap. VII. seq.

 3. 

Nam si ejus roboris fieret, ut ad eum morbus, & ægritudo adire non posset: ne mors quidem posset: quoniam mors sequela

D mor-

morborum est [a]. Immatura vero mors quomodo abesset ab eo, cui esset constituta natura [b]? Nempe nullum hominum [c] mori volunt, nisi cum centesimum ætatis compleverit annum [d].

Quo-

---

a *Sequela morborum est* Bon. *sequelam*.

b *Immatura vero mors quomodo abesset ab eo, cui esset constituta natura?* Bon. *inmatura* - Hæc vox ultima in nonnullis desideratur. Al. *constituta matura*, quam lectionem tueri conantur Erasmus, Gallæus, Sparkius, Heumannus, & Langletius, ea ratione ducti, quia - *Concesso scilicet, quod volunt queruli homines, vivendi spatium illis præfinitum fuisse, nihilominus tamen ex natura rei id secuturum erat, quod intra terminos angustiores redigi posset, immo aliquoties necessario deberet*. Alii vero, qui *constituta*, vel *instituta natura?* retinent, ex falsa hypothesi locutum fuisse Lactantium volunt, ideoque Bunem: ait - *Accuratius Tertullianus de Anima Cap. LII.* dixit - *qui primordia hominis novimus, audenter determinamus, mortem non ex natura secutam hominem, sed ex culpa, ne ipsa quidem naturali. Nam si homo in mortem directo institutus fuisset, tunc demum mors naturæ adscriberetur* &c. At etsi Tertullianus videtur asserere, omnem mortem esse violentam, id tamen intelligi debet, quia nunc semper contingit ex aliqua contraria, ac vehementi passione; non tamen proinde negat, mortem secundum se, juxta humanæ naturæ conditionem esse; quamvis enim naturalem eam appellare non debeamus, quia natura non intendit per se corruptionem, tamen secundum naturam esse dicimus universalem, ut optime ibidem notavit La Cerda. Lactantius vero heic loqui-

tur

tur in hypothesi, quod primus homo, cui optio data a Deo fuerat, ut perseverando in bono, ac divinis mandatis obtemperando, a morte fieret immunis, vel peccando donum immortalitatis amitteret; peccatum potius, quam perseverantiam, sua sponte, elegit; ideoque immortalitatis dono expoliata natura humana, morti obnoxia remansit. Quibus suppositis, recte ait Lactantius abesse amplius ab homine mortem immaturam non potuisse; nam morti, sive grandævus, sive puer adhuc, prout unicuique constitutum est, jam homo factus erat Obnoxius. Vide Diss. XXV. Cap. VII. §. VII.

c *Nempe nullum hominum* Al. *hominem*.

d *Compleverit annum* Bon. *Conpleverit*.

 4. 

Quomodo illis in tanta repugnantia rerum poterit ratio constare [a]? Ut enim ante annos centum mori quisque non possit [b], aliquid illi roboris [c], quod sit immortale, tribuendum est.

a *Poterit ratio constare?* Al. *ratio poterit constare?* Al. *ratio constare poterit?*

b *Quisque non possit* Schottus *quisquam*.

c *Aliquid illi roboris* Al. *aliquod*.

 5. 

Quo concesso, necesse est conditionem mortis excludi. Id autem ipsum hujusmodi



po-

potest esse, quod [a] hominem contra morbos, & ictus extraneos [b] solidum, atque inexpugnabilem faciat. Cum enim constet ex ossibus, & nervis, & visceribus, & sanguine [c], quid horum [d] potest esse tam firmum ut fragilitatem repellat ac mortem?

---

a *Hujusmodi potest esse, quod .... inexpugnabilem faciat*. Al. *Cujusmodi potest esse, quod .... faciat?*
b *Ictus extraneos* - Bon. *extrarios*.
c *Et sanguine* - Bon. *sanguinem*.
d *Quid horum* Al. *quod* Al. *quid nam*.

6.

Ut homo indissolubilis sit ante id tempus [a], quod illi putant oportuisse constitui, ex qua materia ei [b] corpus attribuunt [c]? Fragilia sunt omnia, quæ videri, ac tangi possunt. Superest, ut aliquid ex cœlo petant: quoniam in terra nihil est, quod non sit infirmum.

---

a *Ante id tempus* - Bon. *it* - *t* pro *d* sæpe. Al. *illud* - Aldus *id tempus*.
b *Ex qua materia ei* - Al. *ex qua ei materia*.
c *Corpus attribuunt* Bon. *Adtribuunt*. Al. *attribuent*.

7.

Cum ergo homo sic formandum esset a Deo, ut mortalis esset aliquando [a], & res ipsa

---

a *Ut mortalis esset aliquando* Al. addunt: *& per se ipsum*

ipſa exigebat, ut terreno, & fragili corpore fingeretur. Neceſſe eſt igitur, ut mortem recipiat, quando libet [b]: quoniam corporalis eſt: corpus enim quodlibet ſolubile, atque mortale eſt.

*ipſum mobilis ſemper* - quæ lectio perperam noſtro Codici affingitur a nonnullis; eſt autem Codicis Bon. S. Salvatoris Longobardici, ut ex Aldi nota cognovimus, & contulimus.

b *Ut mortem recipiat quando libet* - Eraſmus, qui legebat *quandolibet* compoſite, nove dictum eſſe putavit, pro *quocumque tempore* Heumannus, & Bunem: etiam una voce legendum putant, pro adverbio ſignificante *quamcumque ætatem*. Ego vero pro duplici voce, ſicuti ſcriptum in pleriſque Ms., & editis reperio, hanc dictionem uſurpo, tamquam verbum adverbio copulatum. Scilicet ut ſenſum reddat. *Neceſſe eſt, hominem ſubire mortem quando ei libet, qui eum finxit, & vitæ ejus terminos ſtatuit, qui præteriri non poſſunt* - Adeſt enim verbum *recipere*, quod ab alio, non a ſe ipſo actionem flagitat inferri - Schottus Eraſmum exſcripſit.

 8. 

Stultiſſimi ergo [a], qui de morte immatura queruntur: quoniam naturæ conditio locum illi facit [b]. Ita conſequens erit, ut morbis quoque ſubjectus ſit: neque enim patitur natura, ut abeſſe poſſit infirmitas ab eo corpore, quod aliquando ſolvendum eſt [c].



a *Stultiſſimi ergo* Al. addunt *ſunt*.

b *Quoniam naturæ conditio locum illi facit* - Etsi de integra hominis natura id intelligi volueris, talis hæc esse debuit, ut, Adamo prævaricante, divina in eo adimpleretur sententia illa Gen. II. ℣. 17. prolata *de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* - Id est, necessitatem subeundæ mortis te manere scias. Vide S. August. L.I. *de Peccat. merit.* Cap. XVI. Si vero hanc Lactantii sententiam de natura lapsa intelligere malueris, jam non est quid ultra quæras, quum notum, exploratumque sit, statutum esse hominibus semel mori; & si nemo non ignoret, quo sibi exitu e vita sit emigrandum. Quæ adversus Gallæum dicta sint, quum heic dixerit - *Naturæ vitiosæ talis est conditio, integræ non item* - Aliud enim est posse, vel non posse mori, aliud esse, vel non esse moriturum. Vide Diss. XXV. Cap. VII. §. VII. Al. legunt *naturæ conclusio*.

c *Quod aliquando solvendum est* Al. *ut solvendum sit* Al. *quod idcirco non solidum, firmumque natura est, ut aliquando solvendum sit* Al. *firmumque natum est* Bon. ultima caret voce, quam ex melioribus reposuimus. Schottus verba interposita delet. Aldus vero ea retinet. Adverte, quod deletis vocibus interpositis, ac proinde etiam *ut*, omnino perperam legunt, qui servant *sit*; quemadmodum, illis servatis, male alii retinent *est*.

 9. 

Sed putemus fieri, quemadmodum volunt [a], ut homo non ea conditione nascatur; nec

a *Sed putemus fieri quemadmodum volunt* Al. *fieri posse*.

nec quis morbo, mortive [b] subjectus sit, nisi peracto suæ ætatis [c] spatio, ad ultimam processerit senectutem [d].

b *Ut homines non ea conditione nascantur; ne quis morbo mortive* &c. Bon. *ne qui* Al. *nec quis* Al. *ut ne quidam* Heum. *homo ea conditione nascatur, qua morbo; mortive non subjectus sit* Al. *ut homo non ea conditione nascatur, qua* &c. sensus ubique idem. Al. pro *qua* habent *ut*.

c *Suæ ætatis* Al. *ætatis suæ*.

d *Ad ultimam processerit senectutem* Al. *ad ultimum processerit senectutis*.

 10. 

Non igitur vident, si ita sit constitutum, quid sequatur: hominem utique nisi certo tempore mori nullo modo posse [a]: sed, si prohiberi ab altero [b] victu potest, mori poterit. Res igitur exigit, ut homini, qui ante certam diem [c] mori non potest, ciborum alimentis, quia subtrahi possunt, opus non sit [d]. Si opus cibo non erit, jam non homo ille, sed Deus fiet [e]. Ergo (ut superius dixi) [f] qui de fragilitate hominis queruntur [g], id potissimum queruntur, quod non immortales, & sempiterni sint nati.



a *Hominem utique, nisi certo tempore, mori nullo modo posse*. In omnibus fere tam Mss., quam editis hæc

hæc lectio varia est. Bon. *homini utique* certo *tempore mori nullo modo possit* Tomas *hominem utique certo tempore* &c. Isæus: *nisi certo tempore* Schottus, Aldus, Spark, Gallæus aliique *Tò nisi* minime receperunt. Cellar. Walch. aliique - *Omni utique cætero tempore* Heum. more solito - *Hominem ante certum tempus mori nullo modo posse*. Nos Betuleii, & Isæi lectionem retinuimus, quam in Mss. pluribus vidimus, & expeditiori sensu deservire novimus ad Lactantii mentem intelligendam, *nimirum* - Si constituatur hominem non posse mori nisi ad extremum senectutis pervenerit, necessario sequi debet, eum mori non posse nisi certo tempore, quo peractum sit vitæ suæ spatium; quod tamen alia ratione repugnat; nam hic idem homo ab alio homine prohiberi poterit victu antequam ad senectutem perveniat, & tunc fame peribit, & sic mori simul, & non mori poterit; aut faciendum ne fame pereat, aut non permittendo, quod ab aliena manu pro victu dependet. Quæ omnia providentiam adstruunt, quam Epicurei negabant, & queruli Theophrasti, ac Plinii, & Lucretii Sectatores incusabant. Lactantius autem etiam alia via eos premit, ut infra visuri sumus, ut probet id, quod Seg. 1. asseruerat. *Eos indignari se natos non esse Deos*.

b *Sed si prohiberi ab altero* - Al. cum Schotto *ab altero*.

c *Ante certam diem* - Al. *ante certum diem*.

d *Ciborum alimentis, quia subtrahi possunt, opus non sit* - Bon. *possint* . . . *sint* Al. *quæ subtrahi possunt*.

e *Deus fiet* - Al. *fiat*. Al. *faciat*.

f. *Ergo* (*ut superius dixi*) Nempe Seg. 1., quod effatum efficaci argumentatione, etiam ab illis negantibus, extorquet, quamvis ne impudentes videantur si id aperta fronte dicere præsumerent; iterum reponunt.

g *Qui de fragilitate* . . . *queruntur* Bon. *qui fragilitate quaeruntur* - Al. *homines* Al. *hominum*.

 11. 

*Nemo, nisi senex, mori debet* [a]. Atquin [b] mortalitas non potest cum immortalitate conjugi. Si enim mortalis est in senectute, immortalis esse in adolescentia [c] non potest: nec est ab eo conditio mortis aliena, qui quandoque [d] moriturus est: nec ulla immortalitas est, cui sit terminus constitutus.

---

a Nemo, nisi senex, mori debet - Al. *Nemo enim* - Male; nam hæc per prolepsin a Lactantio dicta sunt, ut omnem evadendi aditum adversariis impediret, illum mature novis rationibus occupando. Aliqui statim subdunt - *Nempe, ideo mori debet, quia Deus non est*; quam lectionem retinent Aldus, & Schottus, aliique boni.

b *Atquin* sic sæpe noster Al. *Atqui*.

c *In adolescentia* Bon. *in adulescentia*.

d *Qui quandoque* - i. e. *aliquando* - Cicer VI. Fam. Epist. XIX. *quoad ille quandoque veniat*.

 12. 

Ita fit [a], ut etiam immortalitas [b] exclusa in perpetuum, & ad tempus recepta mortalitas, hominem constituat in ea conditione, ut sit in qualibet ætate mortalis. Quadrat igi-

---

a *Ita fit* - Schottus primam vocem delet.

b *Ut etiam immortalitas* - Al. *ut &* Al. *ut & jam*.

igitur necessitas undique, nec debuisse aliter fieri [c], nec fas fuisse. Sed isti rationem sequentium [d] non vident, quia semel erraverunt in ipsa summa [e].

c *Aliter fieri* - *Tò fieri* aliqui non habent. Al. *neque fieri aliter*.

d *Rationem sequentium* Al. *consequentium*.

e *Erraverunt in ipsa summa* - Sic sæpe Cicero hanc vocem pro collectione, ac sententiæ fundamento usurpavit. Errabant enim Epicurei negando providentiam, ex cujus negatione absurda eorum effata profluere necesse erat. Sic recentiores, qui ex fictis, falsisque principiis, ac exemplis quibusdam, experimentisque infidis pro inductionibus adhibitis, non nisi falsa deducere possunt, & paradoxa vice thesium venditare.

 13. 

Exclusa enim de rebus humanis divina providentia, necessario sequebatur, ut omnia sua sponte sint nata. Hinc invenerunt [a] illas minutorum seminum plagas, & concursiones fortuitas [b]: quia rerum originem non videbant.

In

a *Hinc invenerunt*. Noscant Atomistæ exordia suæ hypothesis unde venerint.

b *Minutorum seminum plagas, & concursiones fortuitas* Heum. *Emendandum*, inquit, *videtur mihi hoc verbum. Ego quid scribendum sit, non video* - Francius mallet - *minutorum segminum plagas*; sed nihil mutandum, nihil corrigendum bene advertit Bunem. *Minu-*

*nutorum seminum plagæ sunt atomorum impulsiones.* Cicer. de Fato Cap. 20. *Declinat atomus. Primum cur? Aliam quandam vim motus habebunt a Democrito impulsionis, quam* PLAGAM *ille appellat.* Lucret. L. II. ℣. 531.

*Undique pro telo plagarum continuato*

Et Lib. IV. ℣. 188. 190.

*Quæ quasi truduntur ....*
*..... Sequenti concita plaga.*

Intellige ictum, & percussionem atomorum, invicem collisorum ratione perpetui motus, ut luculenter explicavimus Diss. XXIV. Cap. II. §. I. Atomi autem *Segmina* dici nequeunt, quum *Segmen* a *Secando* sumatur, quod atomis, utpote indivisibilibus, repugnat. Bene autem *Semina* dicuntur, quia in opinione quam heic profligat Lactantius, principia sunt, & rerum omnium elementa. Vide in Diss. supra indicata Cap. II. Seg. 10.

 14. 

In quas se angustias cum conjecissent, jam cogebat eos necessitas existimare, animas cum corporibus nasci, & item cum corporibus extingui [a]: assumpserant enim nihil fieri mente divina, quod ipsum non aliter probare poterant, quam si ostenderent esse aliqua, in quibus videretur providentiæ ratio claudicare.

Re-

a. *Et item cum corporibus extingui* Bon. *& iterum*

 15. 

Reprehenderunt igitur ea, in quibus vel maxime divinitas ſuam providentiam [a] mirabiliter expreſſit: ut illa, quæ retuli, de morbis, & immatura morte: quum debuerint cogitare, his [b] aſſumptis, quid neceſſario ſequeretur: ſequuntur autem illa, quæ dixi [c].

Si

a *Divinitas ſuam providentiam* Bon. *Divinitatem ſuam providentiam* Al. *Divinitatem ſuam providentia* Dupplex hinc ſenſus effici poteſt: vel quod Divinitas ſuam expreſſerit providentiam, vel providentia Divinitatem. Primum eligo cum Aldo, aliiſque Bononienſ. MMs. S. Salvatoris; nam Divinitas pro *Deo* ſæpe a Lactantio uſurpatur, & heic providentiam ſummi Numinis Author noſter adverſus Epicurum propugnabat. Nobiſcum pleraque alia Romana Mss. legunt exemplaria, eamque lectionem tuentur Thomaſſ. Iſæus, Gallæus, Walchius, Spark., Heum. & Bunem. Aliam ſequuntur Betuleius, & Cellarius, quibus ſe comitem dedit Langletius, utramque approbans, ſed firmiorem, ac veriorem Betuleianam probando.

b *Expreſſit, ut illa, quæ retuli, de morbis, & immatura morte; quum debuerint cogitare, his aſſumptis, quid neceſſario ſequeretur*. Peſſime hanc lectionem luxatam in pleriſque omnibus tam MMs., quam typis editis exemplaribus inveni. Noſter Bon. *Tò quum* non habet. Schottus *Tò quid* mutat in *quæ*... *ſequerentur*. Al. in *quidem* ... *ſequetur*. Heum. *his aſſumptis, quæ*: PRO *quæ his aſſumptis*. DELENDUM IGITUR COM-

comma inter *assumptis*, et *quæ* vulgo *interjectum*. Aldus nostram lectionem restituit, eamque retinet Bunem., aliique, cum nota - ut: *valet* Exempli gratia. Duplicem sensum verba ista præseferunt: scilicet, vel innuunt, quod ii, qui providentiam denegant, ea reprehendunt, in quibus magis emicat, & quæ Lactantius dixerat de morbis, & immatura morte, necessario sequuntur, assumptis iis, quæ præsupponuntur. Vel docent, hujusmodi Philosophos, ea reprehendisse, quæ providentiam demonstrant; quum potius cogitare debuissent quænam absurda, & paradoxa sequerentur, assumptis iis de quibus hactenus disputatum erat, & jam adversus eos vi argumentorum evicta. Si deleas *Tò quum* prima expositio expeditior: si retineas, secunda retinenda est.

c *Sequuntur autem illa, quæ dixi* - Spark., & Walch. intra parenthesim hæc verba includunt; sed nulla ratione.

 16. 

Si morbum non reciperet [a]: neque tectis [b], neque vestibus indigeret. Quid enim ventos, aut imbres, aut frigora metueret: quorum vis in eo est, ut morbos afferant? Iccirco enim accepit [c] sapientiam, ut adversus nocentia fragilitatem suam muniat.

Se-

a *Si morbum non reciperet... indigeret... metueret:* I. E. homo Bon. & alii quidam in plurali; sed sequitur *accepit* - *capit* &c. præcessit *reciperet*, *metueret* &c.

b *Neque tectis* Bon. *testis*.

c *Iccirco enim recepit* - Hinc lectio nostra, quam superius in singulari dedimus, confirmatur.

 17. 

Sequitur necessario [a], ut quoniam retinendæ rationis causa morbos capit [b], etiam mortem [c] semper accipiat: quia is, ad quem mors non venit [d], firmus sit necesse est: infirmitas autem [e] habet in se mortis conditionem: firmitas vero ubi fuerit, nec senectus locum potest habere, nec mors, quæ sequitur senectutem.

a *Sequitur necessario* Al. *sequitur, quod necesse est* Al. *sequitur necesse, ut* Al. *sequatur necesse est* Al. *sed necesse est, ut* &c.

b *Morbus capit* Bon. *capiet*.

c *Etiam mortem* Al. *& mortem* Al. *& jam* Al. *& etiam*.

d *Ad quem mors non venit* Bon. & Al. *ad quem morbus non venit* - Ob ea, quæ sequuntur lectio nostra præferenda cum Bunem. Aliisque.

e *Infirmitas autem* - Bunem. edidit *infirmitas enim* ob sequens *vero* sed nihil erat immutandum; quamvis enim, authore Valla, idem significent *autem*, & *vero* hææ particulæ tamen discretivæ sunt, quibus ad libitum utimur. Cicer. l. 1. *de Orator. Est enim*, ait, *finitimus Oratori Poëta, numeris adstrictior paullo, verborum* autem *licentia liberior, multis* vero *ornandi generibus socius, ac pene par*.

 18. 

Præterea [a], si mors certæ constituta esset

a *Præterea* Al. *Propterea*.

esset ætati, fieret homo insolentissimus, & humanitate omni careret. Nam fere [b], jura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu, & conscientia fragilitatis oriuntur.

b *Nam fere* Bon. *Nam ferae*.

19.

Denique imbecilliora, & timidiora quæque animalia [a] congregantur [b], ut quoniam viribus tueri se nequeunt, multitudine tueantur [c]: fortiora vero solitudines appetunt [d], quoniam robore, viribusque confidunt.

a *Denique imbecilliora, & timidiora quæque animalia*. Bunem. heic notat *Tò quæque* raro admodum comparativis jungi: adde tamen: quum comparatio fit inter individua ejusdem speciei, non autem cum speciem inter & speciem integram, ut heic, contigit, puta inter Lepores, & Leones; bene enim dicitur: *Lepus quisque est Leone imbecillior*, &c. Vide infra C. XIV. Seg. 6. quæ idem Bunem. ibidem observat.

b *Congregantur* Bon. *Congraegantur*.

c *Multitudine tueantur* Bunem. *subaudiendum*, inquit, *se* quod aliquando solet omitti.

d *Solitudines appetunt* Schottus *solitudinem* sic etiam alia quædam MMs. Romana.

20.

Homo quoque [a] si eodem modo haberet ad

a *Homo quoque* Senec. l. IV. de Benef. Cap. XVIII. a con-

ad propulſanda pericula ſuppetens robur [b], nec ullius alterius [c] auxilio indigeret: quæ ſocietas eſſet? quæ reverentia inter ſe? quis ordo? quæ ratio [d]? quæ humanitas? aut quid eſſet tetrius homine [e]? quid efferatius? quid immanius?

a contrario hac utitur argumentatione - *Fac nos ſingulos; quid ſumus? præda animalium & victimæ, ac viliſſimus, & facillimus ſanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium eſt; quæcumque vaga, naſcuntur, & actura vitam ſegregem, armata ſunt; hominem imbecillitas cingit* &c.

b *Suppetens robur* Bon. *ſubpetens* Bun., & Heum. i. e. *ſufficiens* - ab aliquibus abeſt.

c *Nec ullius alterius* Al. *nec nullius alterius*.

d *Quæ reverentia inter ſe, quis ordo? quæ ratio?* Aliqui priores duas voces non habent. Al. addunt - *quæ nutrientia?* Al. *quæ notitia?* Al. *quæve ratio*.

e *Quid eſſet tetrius homine?* Al. *deterius homine?* Nobiſcum legunt antiquiores, & meliores. Aldus etiam & Schottus, qui addit pro vocis explanatione *immitius, inhumanius*.

 21. 

Sed quoniam imbecillus eſt [a], nec per ſe [b] poteſt ſine homine [c] vivere, ſocietatem appetit, ut vita communis & ornatior fiat, & tutior.

Vi-

a *Sed quia imbecillus eſt* Al. *imbecillis*.
b *Per ſe* Al. *de per ſe*.
c *Sine homine* I. E. *Sine ſocietate hominum*.

 22. 

Vides igitur, [a] omnem hominis rationem in eo vel maxime [b] ſtare, quod nudus, fragiliſque naſcitur, quod morbis afficitur, quod immatura morte multatur. Quæ ſi homini detrahantur, rationem quoque, ac ſapientiam detrahi, neceſſe eſt.

a *Vides igitur* Al. *vide ergo* Al. *Unde ergo*.
b *In eo vel maxime* Al. *in eo maxime* Aldus *Tò vel* reſtituit.

 23. 


Sed nimium [a] diu de rebus apertiſſimis [b] diſputo; cum ſit liquidum, nihil ſine providentia, nec factum eſſe unquam, nec fieri poſſe [c]. De cujus operibus [d] univerſis ſi nunc libeat diſputare per ordinem, infinita materia eſt [e].



a *Sed nimium diu de rebus apertiſſimis diſputo* - Sic legit etiam Aldus. Cicer. IV. Acad. 59. *De quo jam nimium etiam diu diſputo*. Et 1. in Cat. 10. *Nimium diu te Imperatorem* &c. Al. *Sed nimis diu*.
b *De rebus apertiſſimis* Al. *apertis*.
c *Nec fieri poſſe* Al. *potuiſſe* lego cum Aldo.
d *De cujus operibus* Al. *de quibus operibus*.
e *Infinita materia eſt* Bon. *infinitam materiam eſt* Al. *eſſet*.

 24. 

Sed ego de uno tantum corpore hominis [a] institui dicere, ut in eo divinæ providentiæ potestatem, quanta fuerit, ostendam, his dumtaxat in rebus, quæ sunt comprehensibiles [b], & apertæ: nam illa, quæ sunt animi [c], nec subiici [d], oculis, nec comprehendi queunt [e]. Nunc de ipso vase hominis loquimur [f], quod videmus.



CA-

a *Sed ego de uno tantum corpore hominis* Al. *Tò tantum* postponunt. In nostro Bon. Codice duæ ultimæ litteræ penultimæ vocis, punctis totidem insigniuntur.

b *Comprehensibiles* Bon. *Compraehensibiles*. Et sic fere semper.

c *Quæ sunt Animi* Al. *Animæ*.

d *Nec subiici* Bon. *nec subici*.

e *Queunt* Bon. *quaeunt* Schot. *possunt* Al. *potest*.

f *Nunc de ipso vase hominis loquimur* sic etiam Aldus. Al. *de vase* Al. *loquamur* Al. *loquemur* - En hujus libelli thema, seu princeps, ut ajunt, propositio. Corpus autem humanum a Lactantio *Vas* appellatur non solum ad imitationem Ciceronis I. Tuscul. Quæst. 52. *Nam corpus quidem, quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum* - sed cum Apost. II. ad Corinth. IV. 7. *habemus thesaurum in vasis fictibibus*.

# CAPUT. V.

 1. 

IN principio [a], quum Deus fingeret animalia noluit ea in rotundam [b] formæ speciem [c] conglobare [d], atque colligere, ut & moveri [e] ad ambulandum, & flectere se in quamlibet partem facile possent: sed ex ipsa corporis summa produxit caput: item produxit quædam membra [f] longius, quæ vocantur pedes, ut alternis motibus solo fixa producerent animal [g], quo mens tulisset, aut quo petendi cibi [h] necessitas provocasset.

a *In principio* Schottus *f.abest in opl. v.in*.
b *In rotundam* Bon. *in rutundum*.
c *Formæ speciem*. Al. *formam, speciemque*.
d *Conglobare*. Al. *globare*.
e *Et moveri ... sed ex ipsa* Al. *ea moveri*. Heum. *sed & moveri ... ex ipsa*.
f *Item produxit quædam membra* Al. *membra quædam* Heum. Putat Lactantium scripsisse: *produxit item*.
g *Producerent animal* - Sic Aldus Al. *perducerent*.
h *Petendi cibi* Al. *cibum*.

 2. 

Ex ipso autem vasculo corporis [a] quatuor fe-



a *Ex ipso autem vasculo corporis* - Hocce diminutivo

fecit extantia [b]: bina posterius, quæ sunt in omnibus pedes: item bina capiti [c], & collo proxima, quæ varios animantibus usus præbent. In pecudibus enim, ac feris [d] sunt pedes posterioribus similes: in homine autem manus, quæ non ad ambulandum, sed ad faciendum, tenendumque [e] sunt natæ.

vo usus est S. Petrus Apostolus Epist. I. Cap. III. ℣. 7. *quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.*

b *Quatuor fecit extantia* Bon. *quattuor* &c. Al. *exercitantia* Al. *instantia*.

c *Item bina capiti* Schottus *quæ nobis sunt brachia*.

d *Ac feris* - Hæc non omnes habent.

e *Ad faciendum, tenendumque* - Sic Aldus Al. *ad faciendum, operandumque* Al. *temperandumque* Al. *reparandumque*.

 3. 

Est & tertium genus, in quo priora iis neque pedes, neque manus sunt, sed alæ, in quibus pennæ [a] per ordinem fixæ, volandi exhibent usum.

Ita

a *In quibus pennæ* - Sic, aliique plurimi Aldus *pinnæ*. Hocce *pennas* inter, & *pinnas* discrimen interesse docet Perottus, quod illæ fortiores, ac densiores sunt, istæ autem molliores, & tenuiores; quamquam promiscue usurpantur. Ideoque communiorem lectionem elegimus; non enim heic de piscibus loquitur.

 4. ❧

Ita una fictio diversas species, & usus habet. Atque ut ipsam corporis crassitudinem firmiter comprehenderet [a], majoribus, & brevibus ossibus invicem colligatis, quasi carinam compegit, quam nos dicimus spinam [b]: eaque noluit ex uno, perpetuoque osse formare, ne gradiendi, flectendique se facultatem animal non haberet [c].



---

a *Firmiter comprehenderet* - Plerique omnes, legunt *comprehenderent*. At prave, nam hocce verbum non regitur a relativo plurali Seg. 2. *Item bina capiti, & collo proxima, quæ* &c. Sed ab Opifice Deo, qui subintelligi debet. Nobiscum legunt Bun. & Langletius.

b *Majoribus, & brevibus ossibus invicem colligatis, quasi carinam compegit, quam nos dicimus spinam* - Vide Aristotel. *de incessu Animal.* Cap. VIII. Pro *spinam* nunnulli legunt *sparmam* prave. Ind. Will. legit *minoribus & brevibus*. Al. *ad invicem* - Heic observandum est comparativum cum positivo junctum, quod etiam alibi fecit Lactantius, ideoque Schotti correctionem non recepimus, qui mallet *brevioribus*.

c *Ne gradiendi, flectendique se facultatem animal non haberet.* Bon. *Tò facultatem* non habet, quæ vox est omnino ad sensus integritatem necessaria, unde recens manus in quibusdam Mss. reposuit illam, vel in ejus locum legunt cum Aldo - *flectendique se animal usum non habeat* - vide Aristol. L. II. *de part. Anim.* C. IX. Galen. l. XII. Cap. X. seq. Gassend. Phys. Sect. III. L. II. *de Part. Animal. Cap. I. ante finem.*

 5. 

Ex ejus parte quasi media costas, id est transversa, & plana ossa [a] porrexit in diversum: quibus clementer curvatis, & in se, velut in circulum pene conductis, interna viscera contegantur: ut ea, quæ molliora [b], & minus valida fieri opus erat, illius solidæ cratis amplexu [c] possent esse munita [d].

a *Id est transversa, & plana ossa* Williss. *plena ossa* Obs. III.

b *Quæ molliora* - Sic Aldus etiam Al. *mollia*.

c *Solidæ cratis amplexu* Al. *soliditatis amplexu* Al. *solidæ ætatis* - Nostra lectio optima ex Virgil. probatur. Æn. XII. ℣. 508.

*Transadigit costas, & crates pectoris ense.*

Et similiter Ovid. l. VIII. Metam. ℣. 806.

*Pectus & a spinæ tantumodo crate teneri.*

Adde Arnobium L. III. Apulejum IV. Metam. & commen. apud Bunem. heic.

d *Possent esse munita* Bon. *possint*.

 6. 

In summo vero [a] constructionis ejus, quam similem navali carinæ [b] diximus, caput collocavit, in quo esset regimen totius animantis [c]. Datumque illi hoc nomen est, ut quidem Varro ad Ciceronem scribit, [d] quod hinc capiant initium sensus, ac nervi [e].

Ea

a *In summo vero* - Sic etiam Schottus Al. *in summa*.

b *Navali carinæ* Al. *navis carinæ* - Carina ex Festo, Trabs illa est, quæ in fundo navigiorum cæteras regit partes, in ea, tamquam in basi, innexas. *Navalis* autem adjectiva vox est, quæ ad naves pertinet Livius L.XL. Cap. 18. *Nec rei navalis cura omissa.* Sic etiam dicitur *Uncus navalis* apud Valer. Max. L. VIII. Argon. ℣. 298. *Tuba navalis* apud Martial. L. de Spect. XXVIII. &c.

c *In quo esset regimen totius animantis* Schottus legit *Regnum* addens *sic supra lib. de Ira Dei Cap. XI.* in hac nostra editione Seg. 4. ubi pro *regimine*, nos legimus *examine*.

d *Ut quidem Varro ad Ciceron. scribit* - Schottus *f. de L. L.*, cujus operis primi tres libri exciderunt. Bon. *totius animantius*.

e *Quod hinc capiant initium sensus, ac nervi* vide infra ad Cap. VII. Seg. 1., & Diss. XXV. Cap. II. §.V.

 7. 

Ea vero, quæ diximus [a] de corpore [b] vel ambulandi, vel faciendi, vel volandi caussa esse producta, neque nimium longis, propter celerem mobilitatem, neque nimium brevibus, propter firmitatem, sed & paucis [c], & magnis ossibus constare voluit.



a *Ea vero, quæ diximus* - Scilicet supra Seg. 2. & seq.

b *De corpore* - Sæpe Lactantius particulam *de* pro *ex* adhibet, quod suis locis notavimus, & præcipue ad Symposii proœmium ℣. 1. Heum. mallet *è corpore*.

c *Sed & paucis* Al. *parvis* Al. *sed paucioribus*.

 8. 

Aut enim bina sunt, ut in homine: aut quaterna, [a] ut in quadrupede [b]: quæ tamen non fecit solida, ne in gradiendo pigritia, & gravitas retardaret: sed cavata, & ad vigorem corporis conservandum medullis intrinsecus plena, [c] eaque [d] rursus non æqualiter porrecta finivit [e], sed summas eorum partes nodis crassioribus [f] conglobavit, ut & substringi nervis [g] facilius, & verti [h] tutius possent: unde sunt vertibula [i] nominata.

a *Aut quaterna* Bon. *aut terna* prave.
b *Ut in quadrupede* Bon. *in quadrupe*.
c *Medullis intrinsecus plena* Bon. *extrinsecus* pessime.
d *Eaque* Bon. *Eaquae*.
e *Porrecta finivit* Al. *projecta* Al. *finirent*.
f *Nodis crassioribus* Al. *crassioribus nodis* Bon. N. *rossi oribus*.
g *Et substringi nervis* Al. *abstringi nervis* Al. *adstringi*.
h *Et verti* Al. *subverti* Al. *vertibilia*.
i *Vertibula*, quæ ab Anotomicis *vertebræ* dicuntur.

 9. 

Eos nodos firmiter solidatos leni quodam [a] operculo texit, quod dicitur cartilago [b], scilicet ut sine attritu, & sine sensu doloris aliquo flecterentur. Eosdem tamen non in unum modum formavit [c]:

Alios

a *Leni quodam* Al. *levi* Al. *laevi*.

b *Chartilago* Bon. *Cartilago*.

c *Non in unum modum formavit* Bon. *non inum* Al. *informavit*. Gaudet quidem compositis plerumque Lactantius; sed non ideo ita abhorret a simplicibus, ut iis nunquam utatur. Adde *in* heic præcessisse, cum qua præpositione male jungitur *informo*, quod verbum inchoativum est, nec divinæ quadrat operationi. Relictis ergo Bunemanni rationibus lege cum Erasmo, Gallæo, Spark. aliisque, ut in nostro habetur *formavit* Al. *reformavit*.

 10. 

Alios enim fecit simplices, & in orbem rotundos, [a] in iis duntaxat [b] articulis, in quibus moveri membra in omnes partes oportebat, ut in scapulis. Quoniam manus utrolibet agitari, [c] & contorqueri necessarium est: alios autem latos, & æquales, & in unam partem rotundos, & in his utique locis, ubi tantum curvari membra oportebat, [d] ut in genibus, & cubitis, & manibus ipsis [e].

Nam

a *Rotundos* Bon. *rutundos* ut etiam infra.

b *In his duntaxat* Al. *in iis Tò dumtaxat* quo noster etiam usus est C. IV. Seg. 24., & L. VII. Cap. VIII. 8. male scribitur per *m* in scriptis plerisque, ac editis.

c *Utrolibet agitari* Al. *utrumlibet*.

d *In his utique locis, ubi tantum curvari membra oportebat* Al. *ubi tantumodo curvari membra in omnes partes oportebat* Schottus *in quasdam partes ex* Will.

e *Ut in genibus, & cubitis, & manibus ipsis* Al. *& in cubitis, & in* &c.

 11. 

Nam ſicut manus ex loco, unde oriuntur ubique [a] verſus [b] moveri, ſpecioſum ſimul, & utile fuit: ſic profecto, ſi hoc idem etiam cubitis accideret [c], & ſupervacuus eſſet ejuſmodi motus [d], & turpis.

a *Unde oriuntur*, *ubique* Al. *oriuntur a corpore*, *ubique*.

b *Ubique verſus* Eraſmus, & Schottus *nove*, ait, UBIQUE VERSUS pro QUOQUO VERSUS Al. *ubique moveri* Heum. ex conjectura *utroque verſus*. Obſerva cum Bunem. manum in omnem partem poſſe moveri, & quaqua verſum agitari.

c *Cubitis accideret* Al. *accederet*.

d *Ejuſmodi motus*. Sic etiam Aldus Al. *hujuſmodi*.

 12. 

Jam enim manus amiſſa dignitate [a], quam nunc habet, mobilitate [b] nimia, proboſcidi ſimilis [c], videretur, eſſetque; homo plane anguimanus, [d] quod genus in illa immaniſſima bellua [e] mirabiliter effectum eſt [f].

Deus

a *Amiſſa dignitate* Bon. *amiſſae*.

b *Mobilitate* Bon. *mobilitatem*.

c *Proboſcidi ſimilis* Bon. *proroſcidi* Al. *promuſcidi* Al. *promuſci diſſimilis* Al. *promuſcidis ſimilis* - Salmaſ. ad Flor. L. I. c. 18. 9. - *Graecum quidem*, *ait*, *eſt* Προβόσκις, *ſed Latini veteres ſolemni mutatione* B *in* M *pro*

*pro eo magis dixerunt* promoſcidem *vel* promuſcidem &c. Roſtrum eſt Elephanti, quo, quia hæc bellua utitur, tamquam manu, quoquo verſus flexili, hinc *Anguimanus* Elephas dicitur. Vide Aelian. Hiſt. Anim. L. VI. Cap. LII. L. VIII. Cap. XV. &c. Al. *promiſci diſſimilis*.

d *Plane anguimanus* Lucretius L. II. ỳ. 537. *anguimanos*, dixit, Elephantos, quia, ut ſupra innuimus, eorum proboſcis ſerpentis, in modum, in omnem partem facile flectitur, eademque, manus ad inſtar, Elephas utitur.

e *Immaniſſima bellua* Bon. *Belua* ſic ſæpe a Latinis Scriptoribus Elephas appellatur. Vide ad Plin. L. VIII. Cap. XII. Solin. Cap. XXXVIII.

f *Effectum eſt* Bon. *effectu eſt*.

 13. 

Deus enim, qui [a] providentiam, & poteſtatem ſuam multarum rerum mirabili varietate voluit oſtendere, quoniam caput ejus animalis non tam longe porrexerat, ut terram poſſet ore contingere, quod erat futurum horribile, atque tetrum [b], & quia os ipſum profuſis dentibus ſic armaverat, ut etiam ſi contingeret, paſcendi tamen facultatem dentes adimerent: produxit inter eos a ſumma fronte molle ac flexibile membrum: quo prendere, [c] quo tenere quidlibet poſſet: nec rationem victus [d] capiendi, vel dentium prominens magnitudo, vel cervicis brevitas impediret [e]. CA-

a *Deus enim, qui* Al. *quod*.

b *Horribile*, *atque tetrum* Al. *atque atrum* Lact. L. II. Cap. V. Seg. 23. *tetris, atque horribilibus tenebris.*

c *Quo prendere* Al. *comprendere* Al. *comprehendere* eodem ſenſu, quamvis diverſimode perſcribatur; Aliqui enim legunt *Præbendo* Al. *Prendo* Al. *Prebendo*.

d *Nec rationem victus* - Sic etiam Aldus Al. *ut rationem victus*.

e *Brevitas impediret* - Sic Aldus Al. *non impediret.*

## CAPUT VI.

 I. 

NOn poſſum hoc loco teneri, quo minus Epicuri ſtultitiam rurſum coarguam. Illius enim ſunt omnia, quæ delirat Lucretius*. Qui, ut oſtenderet animalia non artificio aliquo divinæ mentis, ſed (ut ſolet)[a] fortuito nata eſſe: [b] dixit, in principio mundi alias quaſdam innumerabiles animantes miranda ſpecie, ac magnitudine [c] fuiſſe natas, ſed eas permanere non potuiſſe, quod illas aut ſumendi cibi facultas, aut coëundi, generandique ratio defeciſſet.

Vi-

a *Sed (ut ſolet)* Heum. manifeſtum, inquit, mendum. Lego *ſed ſcilicet fortuito* Bunem. *ſed videlicet fortuito* - Si parentheſim tamen cum Iſæo induxeris, nihil aliud erit immutandum. Cicero pro Cluent: *quum quædam in collibus (ut ſolet) controverſia Paſtorum eſſet orta* &c.

* Lucr. L. V. a ℣. 835.

b *Nata esse* Al. *esse nata* Lucretius L. V. a ℣. 835.

*Multaque tunc tellus etiam portenta creare*
*Conata est, mira facie, membrisque coorta.*
*Androgynum inter utrum, nec utrumque, & utrimque remotum* &c.

Vide tamen qua ratione ista cum iis congruant, quæ idem Lucretius dicit L. II. ℣. 706. seq., ubi non solum animalia, verum etiam res alias quibusdam atomis duntaxat, non quibuscumque, constare asserit, ne monstra nascantur. Quod non intellexit Jo: F. Buddeus de Atheis. C. VI. ad §. V. p. 365. quum ait, quod Epicurus – *Fortuito atomorum concursui animalium ortum tribuere ausus non est... Sed ea ex seminibus in uteris terrenis, antea formatis, enata fuisse*. Nam ille ibid. ℣. 717. hæc habet.

*Sed ne forte putes animalia sola teneri.*
*Legibus his; eadem ratio disterminat omnia.*

Unde Lactantius merito eum inconstantiæ reprehendit. Diod. Sicul. de prima Ægiptorum origine, ex terræ limo videndus L.I.Bibl. Histor. Cap. II. adversus quos egregie Cardin. de Polignac *Anti-Lucr.* L.VII.a ℣.10.

c *Specie, ac magnitudine* Al. *& magnitudine*.

 2. 

Videlicet ut atomis suis locum faceret [a] per infinitum, & inane volitantibus [b] divinam providentiam voluit excludere. [c] Sed quum videret in omnibus, quæ spirant, mirabilem providentiæ inesse rationem: quæ, malum, vanitas erat [d] dicere, fuisse animalia prodigiosa, in quibus ratio cessasset [e]?

Quo-

a *Ut atomis suis locum faceret* Al. *ut & atomis suis* Al. *ut ut atomis* &c.

b *Per infinitum , & inane volitantibus* - a nonnullis hæc absunt; sed in melioribus leguntur , & tam lib. III. , quam L. *de Ira* idem repetit Lactantius ; habetque hanc sententiam Epicurus apud Ciceronem L.1. *de Finibus* Cap.VI. *In infinito inani* , *atomos* , nimirum, *ita ferri* , *ut inter se cohærescant* . Vide Differt. nostram XXIV. Cap. II. §. 1.

c *Providentiam voluit excludere* . In hypothesi Cartesiana , leges mechanicas , per quas mundum coaluisse opinatur Author , a Deo esse profectas , ab eodem conservari , & per eas nihil unquam extitisse absque Numine Opifice statuitur ; iccirco in hac parte errant , qui Renatum providentiæ osorem ac Atheum dicunt .

d *Quæ* , *malum* , *vanitas erat* - Varia hæc lectio depravata reperitur tam in Mss.,quam in editis;lib.Alii enim habent - *quod malum* Al. *quod vanitatis malum* Al. *quod multum vanitatis* Al. *quid malum* - Erasmus primus fuisse videtur , qui ex vetusto Codice hanc lectionem restituerit . *Malum* enim , ut ipse heic ait, interjectionis vim obtinet , ut in illo Terentiano- *qui* , *malum* , quod non advertens Librarius scripturam mutavit . Nonnulli intra parenthesim vocem illam includunt . Sed non est necesse , & per duplex comma bene lectio distinguitur . Cicero Phil. I. C. 6. *quænam*, *malum* , *est ista voluntaria servitus*- Adde eundem L.II. Offic. Cap. XV. Curtium L. VIII. C. 14.Plaut. Menech. ỳ. 242. Livium L.V. C. LIV. Gellium L. XII. Cap. I. aliosque , quos laudat Bunem. Sic etiam Aldus correxerat .

e *In quibus ratio cessasset* ? Al. *in quibus nascendi ratio cessasset* Bon. *in quibus ratio cessaret* ? Ea , quæ sequuntur , innuere videntur , *Tò nascendi* , vocem spuriam esse , ut notavit Heumannus ; quamvis cum su-

pe-

perioribus bene congruat, ut observavit Bunemannus: Hic tamen erravit, Duce Isæo, putans eam esse lectionem Codicis Bononiensis, a quo vox illa omnino abest, sicuti a plerisque optimæ notæ Mss. Codd. Aldus ex Ms.Bon.Longobardico *nascendi* vocem restituit,&ex Taxaquetio legit *cesaret* cum unico *s Ratio* autem heic ponitur ad Opificis Dei providentiam, & intellectualem naturam indicandam, ut sæpe solet; unde subdit.

 3. 

Quoniam igitur omnia, quæ videmus, cum ratione nata sunt [a]: id enim ipsum nasci, [b] efficere nisi ratio non potest: manifestum est nihil omnino rationis expers potuisse generari. [c]

a *Cum ratione nata sunt* - Intellige cum Providentia, quæ omnia infinita ratione disposuit.

b *Id enim ipsum nasci*, sic dicitur - *ipsum esse* - *ipsum operari* - *ipsum fieri* &c.

c *Nihil omnino rationis expers potuisse generari*. - Isæus id est, inquit, *nihil potuisse generari, in quo non aliquo modo ratio, & providentia Conditoris eluceret*. Cujus sententiæ alibi non meminit. Vide Diss. XXIV. Cap. VI. §. IV.

 4. 

Ante enim [a] provisum est in singulis quibusque fingendis: quatenus ministerio membro-

a *Ante enim* - Sic etiam Aldus ex utroque Mss. Al. *Aut enim* Al. *Adeo enim* Al. *At enim*.

brorum ad necessaria vitæ uteretur, & quatenus adjugatis corporibus [b] elata soboles [c]; universas generatim conservaret animantes.

b *Adjugatis corporibus* - Ceu sub jugo connexis, vinculo maritali Walchius *rariorem esse docet vocem illam adjugatis*. Nihilominus ex Pacuvio, & Plinio illam alii probarunt, teste Bunemanno. Adde Columel. L. IV. Cap. XVII. confer & Nonium II. 551.

c *Elata soboles* Al. *nata soboles* Al. *data soboles* Bon. *elata subolis* Heum. ex conjectura - *edita*, aut *creata* Cave tamen ne aliquid mutes, nam bene *efferre* pro eo, quod est *producere* usurpatur: V. Cic. *Verr.* V., & *de Clar. Orator. Suboles* vero, antiquam, & veram scripturam esse, contendit Lambinus ad Ciceronem. Vide Festum, H. St. & Vossium in eadem voce. Eam habet Lucr. *in obsc.* 1225. *sive virum subules*.

 5. 

Nam si peritus architectus, quum magnum aliquod ædificium facere constituit, primo omnium cogitat, quæ Summa perfecti ædificii futura sit, & ante metitur, quem locum leve pondus expectet [a]: ubi magni operis statura sit moles [b]: quæ columnarum intervalla: qui, aut ubi aquarum cadentium decursus, exitus, & receptacula.

Hæc

a *Metitur, quem locum leve pondus expectet* Bon. *levem* Al. *emetitur* Al. *ementatur* Al. *Emeciatur* Nostram lectionem meliores recipiunt, eamque etiam Schottus, & Fulvius Ursinus approbant.

b *Ubi magni operis statura sit moles*. Fallitur Isæus quum dicit in nostro Codice legi *Magnum oneris*. Ibidem enim ita exaratum est, ut edidimus: quamquam non *moles* sed *molis*, scriptum sit. Aldus vero ex Tax. habet *oneris* Al. *magni oneris*.

c *Decursus*, *exitus*, *&* *receptacula* Al. *&* *exitus* Aldus ex utroque Cod. legit nobiscum.

## 6.

Hæc inquam prius providet [a], ut quæcunque sunt perfecto jam operi necessaria [b], cum ipsis fundamentis pariter ordiatur; cur Deum quisquam putet in machinandis [c] animalibus non ante providisse, quæ ad vivendum necessaria essent, quam vitam ipsam [d] daret? Quæ utique constare non posset, nisi prius effecta essent quibus constat.

a *Hæc*, *inquam*, *prius providet* sic etiam Aldus, & Schottus Al. *prævidet* Al. *pervidet* Al. *provident* Heum. *Si hic inquam*. Particula *Hæc* respicit hactenus dicta, ut ait Bun; nec Tò *si* addere oportet.

b *Perfecto jam operi necessaria* Al. *perfecto operi jam necessaria* Aldus legit nobiscum.

c *In machinandis* Al. præpositionem *in* non habent.

d *Vitam ipsam* Al. *ipsam vitam*.

## 7.

Videbat igitur [a] Epicurus in corporibus ani-



a *Videbat igitur* Al. *videbat enim*.

animalium divinæ rationis solertiam [b], sed ut efficeret, quod ante imprudenter assumpserat [c], adjecit aliud deliramentum superiori congruens.

b *Solertiam* Bon. *Sollertiam vetustæ scripturæ indicium*.

c *Quod ante imprudenter assumpserat* Bon. *inprudenter adsumpserat*. Quam Philosophi *minorem* Syllogismi propositionem appellant, eandem Oratores *assumptionem* vocant. Vide Quintil. L. V. Cap. XIV.

 8. 

Dixit enim, neque oculos ad videndum esse natos, neque aures [a] ad audiendum, neque pedes ad ambulandum: quoniam hæc membra prius nata sunt, quam [b] esset usus videndi, & audiendi, & ambulandi: sed horum omnia officia [c] ex natis extitisse.

a *Neque aures* Al. *auris* Al. *nec* Al. *auriculas*.

b *Quoniam hæc membra prius nata sunt, quam* &c. Al. *quoniam membra hec* Lucret. Lib. IV. ℣. 832.

*Nil ideo quoniam natum est in corpore, ut uti*
*Possimus, sed quod natum est, id procreat usum.*
*Nec fuit ante videre oculorum lumina nata*
*Nec dictis orare prius, quam lingua creata est* &c.

c *Sed horum omnia officia* Al. *sed horum omnium*.

 9. 

Vereor ne hujusmodi portenta, & deri-

di-

dicula refutare, non minus [a] ineptum esse videatur. Sed libet ineptire, quoniam cum inepto agimus: ne se ille nimis argutum putet.

---

a *Vereor ne hujusmodi portenta, & deridicula refutare, non minus* &c. Al. *ridicula* Erasmus sermo, ait imperfectus videtur, *nisi addas* quam dicere *aut simile quippiam*. Sed salva, & integra heic omnia, ut bene observavit Bunem. ex Cap. X. de Ira seg. 6. Vereor ne non minus *delirare videatur, qui hæc putet refellenda* &c.

 10. 

Quid ais, Epicure? Non sunt oculi [a] ad videndum nati? Cur igitur vident? *Postea*, inquit [b], *eorum usus* [c] *apparuit*. Videndi ergo causa nati sunt [d], siquidem nihil aliud possunt, quam videre [e] Item membra [f] cætera cujus rei causa nata sint [g] ipse usus ostendit: qui utique nullo modo posset existere, nisi essent membra omnia tam ordinate [h], tam providenter effecta, ut usum possent habere.

F 2 Quid

---

a *Non sunt oculi* Aldus *si non sunt* ex Tax. Bon. *Non oculis* Al. *Non sunt ad videndum oculi nati*.

b *Postea inquit* Bon. *inquid*.

c Eorum Usus Al. *usus eorum* verba sunt ejusdem Epicuri apud Lucret. ubi supra Seg. 8.

d *Nati sunt* Al. *nata sunt*.

*Nihil*

e *Nihil possunt aliud quam videre* Al. *nihil aliud possunt* &c. Schottus *videre* delevit.

f *Item membra* Scottus abrasit ultimam Syllabam.

g *Nata sint* Langl. *nata sunt ex Mss.& vet.editis.* Nescio qua fide.

h *Tam ordinate* Al. *tam ordinata* Al. *tanto ordine nata.*

 11. 

Quid enim, si dicas aves [a] non ad volandum esse natas, neque feras ad sæviendum, neque Pisces ad natandum, neque homines ad sapiendum quum appareat ei naturæ officioque servire animantes, ad quod est [b] quæque generata?

a *Aves non ad volandum &c.* vide Quintil. L.1. ex Bunem. Et Anacr. in *Od.* ex Langl.

b *Ad quod est* sic etiam Aldus ex utroque Cod. & Schottus Al. *ad quod sunt* Intellige *Vna quæque animantium generata* Aldus *ad quod est quæque genera* &c. Sic in Cod.

 12. 

Sed videlicet qui summam ipsam [a] veritatis amisit, semper erret necesse est. Si enim non

a *Qui summam ipsam* sic & Aldus Al. ultimam vocem plerique omittunt. *Summa, veritatis.* Intellige dictamen rectæ rationis, humanæ naturæ insitæ a Deo,

non providentia, ſed fortuitis atomorum concurſionibus naſcuntur omnia, cur nunquam fortuito accidit, ſic coire illa principia, ut efficerent animal ejuſmodi, quod naribus potius audiret, odoraretur oculis [b] auribus cerneret [c]?

---

Deo, cui tandiu repugnant Athei, ut ſenſim mutum evadat, & prorſus amitti videatur ab illis.

b *Odoraretur oculis* ſic Aldus. At Bon. *odoraret*. Quum autem numquam active verbum *odoro* uſurpari conſuevit a Latinis pro *olfacere* Ideoque cum aliis lego *odoraretur*. Vide infra Cap. XIV. Seg. 7. ex Cod. noſtro Bon. iterum collato.

c *Auribus cerneret?* Naribus videre aliquem poſſe, hiſtoria illa oſtendit, quam de quodam villico refert Crato *in conſiliis medicin.* L. VI. Epiſt. 35. & 36. Quomodo autem per os audire homo poſſit, ratio, & experimenta demonſtrant apud Craan *de homine* Cap. *CV.* pag. 441. Non tamen illud ſine oculis, hoc ſine organo auditus fieri poteſt, aut umquam factum eſt. Quod vero rariſſime uſuvenit, id monſtrum eſt, neque Naturæ conſentaneum.

 13. 

Si enim primordia nullum genus poſitionis inexpertum [a] relinquunt: oportuit ejuſmodi

 quo-

---

a *Nullum genus poſitionis inexpertum* Al. *expertum*. Male, nam de ſitu, & ordine partium ſermo eſt, quatenus nulla inter eos reperitur alicubi collocata, ubi ex-

quotidie monstra generari in quibus, & membrorum ordo [b] præposterus, & usus longe diversus existeret.

expers sit proprii muneris. Vide heic Bunem. contra Cellarium ex Virg. L. IV. Æn. ℣. 415. ex Ovid. Heroid. Ep. XX. 42. Ex Curtio, Seneca. Luc. aliisque. Item nota anno 1753. Superiore Romæ, natum esse puellum, qui loco nasi mentulam, & in hujus loco nasum præseferebat, & unumquodque ex his membris numeris omnibus absolutum; sed vix natus diem obiit & testes oculati, & parens ipsius, id mihi testati sunt. Vide Diss. XV. C. III.

b *In quibus & membrorum ordo* Al. *Tò &* non habent.

 14. 

Quum vero universa genera, & universa quoque [a] membra leges suas, & ordines, & usus sibi attributos tueantur: manifestum est, nihil fortuito esse factum, quoniam divinæ rationis dispositio perpetua [b] servatur.

Ve-

a *Et universa quoque* Al. *quæque* Heum. Probo, ait, *quæque* sed universa *deleo, tamquam glossema, vel* in universorum *muto*. Ego vero nihil immutandum censeo, quamvis in Bonon. Cod. legatur *universa in quoque membra* forte. *Et universa in uno quoque membro*.

b *Dispositio perpetua* Al. ultimam vocem negligunt, Al. legunt *perpetuo*.

 15. 

Verum alias refellemus Epicurum: nunc de providentia (ut cœpimus) [a] differemus.

a *Ut cœpimus* Al. *ut sæpius*, vel etiam sine diphtongo.

## CAPUT VII.

 1. 

Deus igitur solidamenta corporis [a], quæ ossa dicuntur [b], nodata, & adjuncta invicem nervis alligavit, atque constrinxit [c]: quibus mens si excurrere, aut resistere vellet, tanquam retinaculis uteretur [d]; & quidem [e] nullo labore, nulloque conatu; sed minimo motu [f] totius corporis molem temperaret, ac flecteret.

 Hæc

a *Solidamenta corporis* Heum. *Afrum*, ait, *ut videtur*, *vocabulum*, *nam & Augustinus*, *Africam nactus communem cum Lactantio patriam*, *eo usus est L. VII. confess. cap. XX. At in Thes. L. L. id receperunt H. & C.* Stef., hunc eundem locum laudantes. Bun. Arnob. addit L. II., ubi non *solidamenta*, sed *solida ossa* bis legitur. Vide Diss. XXI. §. 1.

b *Quæ ossa dicuntur* de iis in communi egerunt Plato *in Timæo*, Arist. II. *de Part. Anim.* Cap. IX. & lib. III. *Hist. Anim* Cap. V. Cicer. *de Nat. Deor.* L. II. S. Gregor. Nyssen. *De Opif.* C. XXX. &c. Id in iis mirabile-

bile, quod quamvis ſolida, & dura ſint, tamen arteriæ, venæ & nervi ſeſe in illa inſinuant, ſuaque officia exercent; quod factum a medicis fuiſſe putatur quum eadem adhuc eſſent mollia, & glutinoſa; ſanguinis enim, ac ſpirituum decurrentium continuatio, coalitum tubulorum proibibuit quum tractu temporis oſſa circa ea ſenſim ſolidabantur. Sed nonne idem fit in duriſſimis arborum truncis, ac ramis, quos vitalis humor alere, ac nutrire videmus?

c *Nervis alligavit, atque conſtrinxit* Al. *conſtruxit*. De nervorum ſubſtantia, origine, & propaginibus Diſſ.XXV. Cap. II. §. VIII locuti ſumus.

d *Quibus mens, ſi aut excurrere, aut reſiſtere vellet, tamquam retinaculis uteretur* Al. *ſubſiſtere*, & primum *aut* pauci habent. Adverte non omnes nervos humani corporis imperio mentis ſubiici, ſingulos motui, ac ſenſui deſervire. Si autem velit, molem corporis diſcurrere, aut ſubſiſtere, nervis utitur, tamquam retinaculis, quibus eam moderatur. Vide Diſſ:XXV. Cap. VII. §. XXI. & XXII. Al. *aut reſiſtere velit* Bon. *retenaculis* Schottus pro *mens ſup*: ait, *voluntas*.

e *Et quidem* Bon. *equidem*.

f *Minimo motu* Sic enim Aldus Al. *minimo nutu* Al. *vel minimo*.

 2. 

Hæc autem viſceribus operuit [a], ut quenque locum [b] decebat, utque ſolida oſſa [c] concluſa tegerentur. Item viſceribus ipſis

a *Hæc autem viſceribus operuit* Vox *Viſcus*, ſeu potius *viſcera* non tantum, inquit Servius, inteſtina ſignificat,

ipsis venas admiscuit quasi rivos,[d] per corpus omne divisos, per quas[e] discurrens humor, & sanguis, universa membra succis vitalibus[f] irrigarent[g]: & ea viscera formata in eum modum, qui unicuique generi[h], ac loco aptus fuit, superjecta pelle contexit[i]: quam vel sola pulchritudine decoravit, vel setis adoperuit[k], vel squamis munivit, vel plumis insignibus[l] adornavit.

Illud

---

ficat, sed quicquid sub corio est i.e. Carnem, quæ cutem inter, & ossa noscitur esse posita. Intellige Musculos ex Wil: heic.

b *Ut quemque locum* Al. *quæcumque* Al. *quemcumque*. Schottus & Aldus nobiscum legendum censent.

c *Utque solida esse* Bon.*utque solida essent* Al. *ut quo* Al. *solide* Al. *utique*. Lego cum tribus Vaticanis, Betulejo, & Tornesio qui expeditiorem, & clariorem exhibent *lectionem* Bun.*ut, quæ solida ossa.* Aliis Aldus hanc lectionem prætulit.

d *Venas admiscuit quasi rivos* &c. Intellige etiam arterias juxta ea quæ infra dicturi sumus ad Cap. X. Seg.11.

e *Per quas* Al. *per quos* Al. *per quæ*. Diversa siquidem respicere putatur hocce relativum, nos ad venas id referri debere existimavimus ob ea, quæ sequuntur. Vide Diss.XXV. Cap. II. §. X. & infra ad Cap. X. Seg.11.

f *Succis vitalibus* Bon. *sucis*. Al. *suis*. Celsus & Plinius *saniem* vocant, ait Schottus, humorem illum, de quo Lactantius heic; sed errat, nam *Sanies* apud Celsum est humor, veluti medius, inter sanguinem, & pus, qui è vulneribus post aliquot dies effluit. L. V. Cap.

Cap.XXVIII.Vitales autem ſucci, & humores,qui cum ſanguine corpus irrigant animantium, *ſaniem* dici nequeunt, quia illi in viſceribus, ad hoc deputatis, ſeparantur, & naturam quiſque ſuam, ſatis inter ſe diverſam, induunt, ut Diſſ.XXV. Cap. II. §. XII. dicturi ſumus. Fulgentius *Lib. II. Mythol.* Fab. VIII. *Autumnus enim*, ait, *ita omnia muſculino corpore aſtringit, quo conſtrictis arborum venis*, Vitalis Succi *commerciales tranſennas uteri ſtringens, foliorum marculentam detundat calvitiem*.

g *Irrigarent* Bon. *inrigarent* I. E. *Sanguis*, *& humor* Al. *irrigaret* I. E. *Deus*. Bon. non habet in ultima voce aſpirationem.

h *Generi* Bon. *genere*.

i *Superjecta pelle contexit: quam vel ſola* &c. Vide ſupra Cap. II. Seg. 2.

k *Vel ſetis adoperuit* Al. *vel ſatis adaptavit* prave. Al. *operuit*, ut Schottus & Betul.

l *Inſignibus* in aliquibus hæc vox deeſt.

3.

Illud vero commentum [a] Dei mirabile, quod [b] una diſpoſitio, & unus habitus innumerabiles imaginis præferat varietates [c]. Nam in omnibus fere, quæ ſpirant, eadem ſeries, & ordo membrorum eſt.

Pri-

a *Commentum* I. E. *Inventio*.

b *Dei mirabile, quod:* Bon. ante ultimam vocem tria puncta interponit.

c *Innumerabiles imaginis præferat varietates* Al. *imagines* Al. *animantium* forte *imaginum* Al. *perferat*. Aldus nobiſcum ex utroque Codice. Al. *proferat*.



Primum enim Caput, & huic annexa cervix. Item collo pectus adjunctum, & ex eo prominentes armi [a], adhærens pectori venter. Item ventri subnexa [b] genitalia. Ultimo loco femina [c], pedesque.

---

a *Armi* vox ista in Bon. nostro punctis suppositis distinguitur.

b *Subnexa* Bon. *Subnixa*.

c *Ultimo loco femina* sic etiam Aldus Al. *fæmina* Al. *femora*. Infra Cap. XIII. Seg. 4. *Item feminum deducta... longitudo*. Ubi Librarii eodem modo vel errarunt, vel vocem pene synonymam scripserunt. *femina* enim sunt interiores coxarum partes.



Nec solum [a] membra suum tenorem, ac situm in omnibus servant, sed etiam partes membrorum. Nam in uno capite ipso [b] certam sedem possident aures, certam oculi, nares item, os quoque, & in eo dentes [c], & lingua. Quæ omnia cum sint eadem in cunctis [d] animantibus, tamen infinita, & multiplex diversitas figurarum est [e]: quod ea, quæ dixi aut productiora, aut contractiora lineamentis [f] varie differentibus comprehensa sunt.

Quid

---

a *Nec solum* Al. *neque solum* Al. *sola*.

*In*

b *In uno capite ipso*. Ultimam hanc vocem delendam putat Heuman:, tamquam ortam, ex secunda; sed fallitur quum heic ad emphasim pertineat.

c *Et in eo dentes*. Sic lego cum plerisque melioribus. Quamvis enim in Bon. habeatur *& in ore*, tamen hæc ultima vox punctis quibusdam infra positis insignitur, ex quibus locus suspectus, & correctioni obnoxius in Mss. designari solet. Al. *& in eo ore*.

d *Quum sint eadem in cunctis*. Al. *in omnibus*.

e *Figuratum est* Al. *figuratorum*.

f *Lineamentis* Bon. *liniamentis*.

 6. 

Quid? illud non ne divinum [a] quod in tanta viventium multitudine unumquodque animal in sui generis specie [b] pulcherrimum est? ut si quid vicissim de altero in alterum transferatur, nihil impeditius ad utilitatem, nihil deformius ad aspectum [c] videri necesse sit: sic si elephanto [d] cervicem prolixam tribuas, aut camelo [e] brevem, vel si serpentibus pedes, aut pilos addas, in quibus porrecti æqualiter corporis longitudo nihil aliud exigebat [f], nisi ut maculis terga distincti [g] & squamarum lævitate [h] suffulti, in lubricos tractus [i] sinvosis [k] flexibus laberentur. In

a *Quid? Illud nonne divinum &c.* Al. *quid illud?*

b *In sui generis specie* I. E. *in forma*, seu *figura* unicuique propria. Bon. *in sui generi* Al. *in suo genere*, *& spe-*

*specie* Al. *in sui genere*, & *specie*. Al. *in suo genere* aliis omissis. Al. *in generis specie*. Aldus hanc nostram lectionem præfert aliis.

c *Nihil impeditius ad utilitatem, nihil deformius ad aspectum*. Per ellipsin hæc dicta esse Walchio visa sunt: quasi dicere vellet *quod ad utilitatem ... quod ad aspectum attinet*, sed passim hunc dicendi modum in hocce libro offendes. Vide Donatum ad Terent. *Andr.* III. 2. 1.

d *Ut si Elephanto* Bon. *Elefanto*.

e *Aut Camelo* Bon. *Camello*.

f *Exigebat* Al. *exhibebat* Aldus legit nobiscum.

g *Terga distincti* more Græcorum.

h *Et squamarum laevitate*. Al. *levitate*. Cell. dubitat de sinceritate hujus lectionis, quam sive uno, sive altero ex hisce modis tam Mss. quam editi exhibent. Nostram vero Heum. Bunem. aliique apud ipsos sequuntur.

i *Tractus* Bon. *tractos*.

k *Sinuosis* Bon. *sinosis*.

 7. 

In quadrupedibus autem idem opifex [a] contextum spinæ a summo capite deductum longius extra corpus eduxit, & acuminavit in caudam [b], ut obscenæ [c] corporis partes vel pro-

a *Idem opifex* Al. *idem artifex*.

b *Et acuminavit in caudam*. De hac voce inquit Bunem. consule Savaronem, qui plura exempla collegit ad Sidon. L. VII. epist. 13. &c. *Acuminatum* adhibuit

propter fœditatem tegerentur, vel propter teneritudinem munirentur, aut ut animalia [d] quædam minuta, & nocentia [e] motu ejus arcerentur a corpore. Quod membrum si detrahas [f], imperfectum fit animal [g], ac debile.

buit Plin. L. XI. c. 2. L. XVIII. Cap. 35. In Talmude Babilonico Cod. *Eruvin* Cap. II. pag. 18. Adam cum cauda, ex qua Eva producta fuerit, a Deo formatus dicitur per manifestam imposturam. Plin. L. VII. Cap. II. de Indis quibusdam loquens, eos cum cauda nasci, & quidem Villosa, eosque eximiæ pernicitatis esse, asseruit ex Artemidoro; quamquam lib. XI. C. L. illud communiter dicat. *Caudas præter hominem, ac simias, omnibus fere animalibus datas esse*.

c *Ut obscenæ.... fœditatem.... teneritudinem* Bon. *obscenæ.... fœditate.... teneritudine*.

d *Aut ut animalia*. Al. primam vocem *omittunt*.

e *Minuta, & nocentia*. Copula in Bon. punctis distinguitur. Al. *munita &* &c. Al. *inimica, & nocentia* hæc mihi videtur optima lectio.

f *Si detrahas* Al. *si detrahes*.

g *Imperfectum fit animal* Al. *imperfectum sit*.

 8. 

Ubi autem ratio, & manus est [a] non est id tam necessarium, quam indumentum pilorum. [b] Adeo in suo quæque genere [c] aptissime congruunt, ut neque nudo quadrupede, neque homine tecto excogitari [d] quicquam turpius possit. Quum

a *Ubi autem ratio, & manus est*. Rationale enim ani-

animal omnia manu præstare potest, quum illam agitare, ac contorquere queat in omnem sui corporis partem. Vide Aristol. *L. IV. de Part. Anim.* Simiæ, & Elephanti ideo inter animantia homini visa sunt proximiora, quia illæ pedibus anterioribus, isti vero proboscide, tamquam manu, utuntur, quæ tamen manus non sunt.

b *Tam non est id necessarium, quam indumentum pilorum*. Al. *tamen non est* &c. Al. *non est id tam necessarium*. Aldus nostram lectionem præfert. Hoc enim aliam respicit animantium utilitatem, qua non sine gravi incommodo carere possent; immo vix sine vitæ discrimine eorum velamento carerent. Mira autem est eorum structura, siquidem si figuram spectes teretes plerumque sunt, nec desunt, qui eam habeant quadratam. Ex Plica, quam *Polonicam* appellant: cavos esse apparet. Radice, qua nutriuntur, globulo mucoso, formæ ovalis adhærent, & ramusculis, ac, veluti nodis, & lanugine ornantur, ut ope microscopii observavimus.

c *In suo quæque genere* Al. *in suo quoque genere*. Quam lectionem etsi nostri Codicis, non sequimur, quia sensus, & alii plerique omnes *quæque* legendum esse suadent cum Schotto.

d *Excogitari...possit* Bon. *excogitare* Al. *posset*.

 9. 

Quum tamen [a] ipsa nuditas hominis mire ad pulchritudinem valeat, non tamen etiam capiti congruebat [b]. Texit ergo illud pilo, & quia

a *Quum tamen*. Al. *sed quum* &c.

& quia in summo futurum erat, quasi ædificii culmen ornavit. Quia ornatus non est in orbem coactus, aut in figuram Pili teres factus[c] ne quibusdam[d] partibus nudis esset informis: sed alicubi effusus, alicubi retractus[e] pro cujusque loci decentia[f].

Frons

---

b *Non tamen etiam capiti congruebat*. Alii quidam post hæc verba statim addunt. *Quanta enim in eo futura deformitas esset, ex calvitio apparet* quæ a recentioribus, concellis inclusa exhibentur.

c *Aut in figuram Pili teres factus* Al. *in figuram pilei* Bon. *pilæ*. Sequor lectionem Erasmi, Gallæi, Sparkii, Walchii, & plurimorum Mss. quandoquidem Scopus Lactantii eam postulare videtur. Dicit enim, ornatum humani capitis non esse in girum coactum, ut sit in eo armorum genere, quod *pilum* antiquis appellabatur, priore producta. Illud quippe, etsi non unius formæ, missile tamen erat, hoc singulis habens commune, quod utrinque ferrum preacutum, tereti immissum hastili, præferebat, & globo quodam, sericis quibusdam villis undique circumdatum non quidem ad ornatum solummodo, sed etiam ad pondus librandum, apte paullo supra medium cingebatur, indeque *Pilani* milites, & *Primipili* eorum principes, qui ea gestabant, dicebantur. Optime ergo Lactantius dixit, non ad instar *Pili* in orbem coëgit Deus ornatum humani capitis, sed fronte nudata cœteras illius partes vel pilis, ut barbam, vel capillis, ut reliquas, aptissime cooperuit, quod de more, statim explicat elegantissime. Nobiscum legit etiam Schottus vide infra C. X. Seg. 21. Aldus autem præfert *pilae*.

d *Ne quibusdam* Bon. *de quibusdam*.

Sed

d *Sed alicubi effusus, alicubi retractus.* Sic Aldus Al. *sed alibi infusus alibi* &c. Al. *diffusus*.

e *Pro cujusque loci decentia* Al. *pro cujuslibet*.

10.

Frons ergo vallata [a] per circuitum, & a temporibus [b] effusi [c] ante aures capilli, & earum summa pars [d] in coronæ modum cincta [e], & occipitium [f] omne contectum, speciem miri decoris ostentat.

a *Vallata* Al. *nullata*, Al. *relata* ut Salmas.

b *A temporibus* Præpositione plurimi carent libri.

c *Effusi* Al. *offusi*;

d *Et earum summa pars .... ostentat* Al. *& earum summæ partes .... ostentant* Salm. *& earum imæ partes*.

e *In coronæ modum cincta* Al. *tinctæ*.

f *Occipitium* Bon. *occipium*.

11.

Jam, barbæ ratio incredibile est quantum conferat [a] ad dignoscendam corporum maturitatem, vel ad differentiam sexus, vel ad decorem virilitatis, ac roboris, ut videatur omnino non constatura fuisse totius operis ratio [b], si quicquam aliter esset effectum.

G CA-

a *Quantum conferat* Al. *confert* Aldus heic: *Notate vos, qui barbam abraditis, & abradi cæteris imperatis,* sic scripsisse videtur, quia tunc mos in Italia invaluerat barbam deponendi, quæ antea colebatur.

b *Non constatura fuisse totius operis ratio* Sic Aldus, Al. *constructio* Al. *corporis*.

## CAPUT. VIII.

 I, 

NUnc rationem totius hominis [a] ostendam: singulorumque membrorum, quæ in corpore aperta, aut operta [b] sunt, utilitates, & habitus [c] explicabo.

---

a *Hominis*. Bon: *homines*.

b *Aperta, aut operta* Al. *aut etiam*.

c *Utilitates, & habitus* Bon. *utilitatis* &c. *Tò habitus*. Heic a Walchio exponitur, *conditionem*, *rationem*, *formam*. Intellige tamen *constitutionem*, *temperiem*, *qualitatem*.

 2. 

Quum igitur [a] statuisset Deus ex omnibus animalibus solum hominem facere cælestem [b], cætera universa terrena, hunc ad cæli contemplationem rigidum erexit, [c] bipedemque constituit, scilicet ut eodem spectaret [d] unde illi origo est: illa vero depressit ad terram: ut quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum projecta, ventri pabuloque servirent [e].

Ho-

---

a *Quum igitur*. Arist. L. IV. Cap. X. *de part. Animal.*

*mal.*, & Noster L. II. *Divin. Inst.* Cap. I. de eodem agunt argumento a Seg. 14.

b *Facere cælestem* L. II. *divin. Inst.* cap. X. Al. IX. Seg. 25. *nos enim*, ait noster, *quoniam cæleste*, *atque immortale animal sumus*. Non quia homo ex duobus elementis constet, quorum unum terrenum, ex *quo corpus*, *alterum divinum*, ex quo animum ejus finxerit Deus, ut perperam heic dixit Walchius; sed quia homo ita constat anima, & corpore, *ut quasi e Cælo*, *&* *terra* constare videatur; *quandoquidem anima*, *qua vivimus*, *velut è Cælo*, *oritur a Deo*, *corpus*, *è terra*. Ut idem Lactantius explicat eodem L. II. Cap. XIII. Al. XII. Seg. 3. ad quem locum, & ad Diss. XXV. Cap. VII. §. XVIII. & seq. Langletium, qui suppresso Walchii nomine eadem exscripsit, idcirco provocamus.

c *Ad Cæli contemplationem rigidum erexit* S. Basil. *homil. ultima Hexam.*, & Nyssen. Gregor. *de Homin. Opif. Hac figura sublunarium omnium*. Imperator *donandus erat*, *ut regiæ dignitatis præseferret indicium*.

d *Ut eodem spectaret* Al. *ut eodem*. Nobiscum legunt Erasmus, Schottus, & recentiorum optimi. *Tò eodem* adverbium est adverbio *Unde* respondens. Vide Tursellin. *de Particul.* editionis secundæ SchWart. pag. 248., & nostrum L. I. Cap. V. Seg. 22., & Lib. IV. Cap. XVII. Seg. 18. quibus in locis eadem utitur phrasi.

e *In humum projecta ventri*, *pobuloque servirent* Al. *porrecta* Noster L. IV. Cap. XVII. Seg. 19. *in terram toto corpore*, *&* *ore projectum ventri semper*, *&* *pabulo servit*. Sallust. Catilin. Cap. I. 1. *veluti pecora quæ natura prona*, *atque ventri obedientia finxit*. Luculentius cecinit Ovid. Metamorph. L. I. ut Noster D. Int. L. II. c. 1. Seg. 15.

 3. 

Hominis itaque solius recta ratio est [a] & sub-

ſublimis ſtatus, & vultus Deo patri communis, ac proximus [b], originem ſuam, fictoremque teſtatur. Ejus prope divina mens, [c] quia non tantum animantum, quæ ſunt in terra, ſed etiam ſui corporis eſt ſortita dominatum, in ſummo capite collocata, tanquam in arce ſublimi [d], ſpeculatur omnia, & contuetur [e].

Hanc

a *Hominis itaque ſolius recta ratio eſt.* Verbum hocce ultimum in pleriſque omnibus deeſt ſed etiam Aldus reſtituendam cenſuit Bun. heic *rationem* pro conditione uſurpatam putat.Intellige ſtaturam;nam ſtatim addidit, *& ſtatus ſublimis.*Sic *rectam rationem* uſurpavit, L. II. Cap. I. Seg. 18. *Quum ratio corporis recta ſit*. Unde forſan Schottus heic etiam *Tò corporis* addidit.

b *Et vultus Deo Patri communis*, *ac proximus* Al. *communis*, *ac propius* Schottus annotat *Tò* VULTUS *pro facie & lineamentis corporis* ex Williſ. heic Obſ. VII, pag. 31. eadem fere Lactantius habet L. VII. Cap. V. Seg. 6. Francius *Tò communis*, mutat in *confinis* Epit. Cap. LXX. Al. LXXI. olim X. *cum Deo & Vultu*, *& mente communis* Ideſt: *rationis ſocietas*, qua invicem alloquuntur; reſpiciens fortaſſe ad id, quod habetur Exod.XXXIII. ℣.11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem*, *ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*. Vide Diſſ. XXX. Cap. VII. §. I.

c *Ejus prope divina mens*. Platonis ſententiam mollit, & explicat, de qua vide L. II. Cap. XI. Al. X. Seg. 3. ſeq., & Diſſ. XXV. Cap. VII. §. XV.

d *Tanquam in arce ſublimi*, ſic infra Cap. XVI. Seg. 4. ſeq. Al. *ſublimis* Cicero lib. II. de Nat. Deor. *Senſus autem interpretes, ac nuncii rerum, in capite,* *tam-*

*tanquam in arce*, *mirifice ad usus necessarios & facti*, *& collocati sunt*. Idem L. I. Tusc. Cap. X. *Plato triplicem finxit Animam*, *cujus principatum*, *id est*, *Rationem in capite*; *tanquam in arce*, *posuit natura*. Hinc Bunem. emendat illud D. Ambrosii L. I. Offic. Cap. XVI. edit. Basileen. MDLXVII. fol. 10. ubi formæ *apex*, *quasi in arce quadam locatus* Al. legebant *quasi in arca* Bon. *in Arcae*.

e *Speculatur omnia*, *& contuetur*. Bon. punctis duobus tertium, & quartum primæ vocis elementum distinguit, ut solet in corrigendis, & in ultima legit *contuetur*.

 4. 

Hanc ejus aulam Deus non obductam, porrectamque [a] formavit, ut in mutis animalibus: sed orbi, & globo similem: quod orbis rotunditas [b] perfectæ rationis est, ac figuræ.

a *Hanc ejus aulam Deus non obductam*, *porrectamque*. Al. *Tò Deus* non habent. Heum. mallet *productam*. Bunem. vero *Dei aulam*, *frontem* exponit, quod iis, quæ sequuntur minime quadrat: melius ergo erit si totum caput intelligas, sequitur enim:

b *Sed orbi & globo similem*: *quod orbis rotunditas*. Al. *omnis rotunditas* Aldus *quod omnis*. An autem Orbis iste terraqueus sit revera rotundus, aut ovo similis disputant scriptores Diss. XXIV. Cap. IV. §. II.

 5. 

Eo igitur mens, & ignis ille divinus tan-

a tanquam cælo tegitur [b] : cujus quum summum fastigium naturali veste texisset, priorem partem, quæ dicitur facies, necessariis membrorum ministeriis, & instruxit pariter, & ornavit.

---

a *Ignis ille divinus*. In sententia non propria, sed aliorum loquitur heic Lactantius, ut patet ex Cap. XVII. Seg. 4. hujus libelli. Metaphora autem apte utitur, ut Ethnicos philosophos, qui adversus Epicurum sentiebant, ad suas sensim traheret partes, ac veritatem paullatim doceret. Vide Diss. XXV. Cap. VII. §. XVIII.

b *Tanquam Cælo tegitur*, Plin. L. II. H. N. Cap. XXXVII. *Hoc viscerum excellentissimum est, proximumque Cælo capitis* quum de cerebro loqueretur. Schottus notat, quod etiam Homerus ὐρανὸν vocat teste Eustathio. Unde fortasse κράνιον cranium.

 6. 

Ac primum oculorum [a] orbes concavis foraminibus conclusit, [b] a quo foratu frontem nominatam Varro existimat [c], & eos [d] neque minus, neque amplius, quam duos esse voluit, quod ad speciem nullus est perfectior numerus, quam duorum, sicut & aures duas: quarum duplicitas [e] incredibile est quantam pulchritudinem præferat [f], quod cum [g] pars utraque similitudine ornata est, tum ut venientes altrinsecus [h] voces facilius colligantur. Nam

---

a *Ac primum oculorum* Aldus & Alii *Ac primum quod*

*quod oculorum* Nobiscum Schottus, & meliores legunt. Bon. *oculorum orbis* Al. *orbes*.

b *Inclusit* - Sic etiam Aldus. Al. *conclusit* - De mirabili oculorum structura vide Diss. XXV. Cap. III. §. IV.

c *A quo foratu frontem nominatam Varro existimat* Al. *nominatum* - Constat veteribus etiam masculini generis frontem fuisse; sed vix cum Bunemanno credam ita Lactantium scripsisse. Varronis autem locus non superest, ejus tamen ingenium hoc etymon redolet: Isid. vero idem docet xi. Origin. Cap. 1. Al. legunt *a quorum foratu* fortasse non male Al. *existimavit*.

d *Et eos* Bon. copulam omisit.

e *Quarum duplicitas* Al. *quorum* Thys. legit *duplicatas* - Noster infra Cap. x. Seg. 8. iterum - *duplicitate* Walchius *quis heic exclamat*, *præter Lactantium vocem hanc posuerit*, *nescio* - cui Bunem. respondet - *Ego quidem illam legi in Tertul. L. V. adv. Marcion. Cap. XI.* Adde nunc Sypontinum, Grammaticum vere clarissimum in Cornuc. L. L. col. 426. lin. 45. *Item nomina numeralia*: *simplex*, *duplex* &c. *a quibus simplicitas duplicitas* &c., & H. & R. Stephani eam in suo Thesauro L. L. reposuerunt Lact. nostri authoritate contenti.

f *Ad pulchritudinem præferat* Al. *præseferat*. Non est heic quid corrigas; non semel Tullius verbum *præfero* hocce eodem sensu usurpavit. Al. *perferat*.

g *Quod cum* sic etiam Aldus Al. *quod tum*.

h *Ut venientes altrinsecus* - Al. *advenientes*:

7.

Nam & forma ipsa mirandum in modum ficta, quod earum foramina voluit esse nuda [a], & inobsepta [b], quod & minus decorum [c], & mi-



a *Noluit esse nuda* - Schottus, Betul. Isæus, Thys. Gal-

& minus utile fuisset, quoniam simplicium cavernarum angustia sprætervolare vox posset, nisi exceptam [d] per cavos sinus, & repercussu retentam [e] foramina ipsa conbiberent [f] illis similia vasculis [g], quibus impositis solent angusti oris vasa compleri [h].

Eas

Gallæus, Spark. Bunem:, & Mss. pleraque exemplaria nobiscum legunt. Al. *voluit*, sed male ut ex iis, quæ sequuntur apparet.

b *Et inobscepta* Bun. Adjectivum hocce hactenus inobservatum aliis putavit. Sed ante ipsum R. & H. Steph. illud adnotaverant, & receperant in Thes. L.L.

c *Quod & minus decorum* Al. *quod non minus*.

d *Vox posset, nisi exceptam* Al. *vox posset, & spargi, nisi* sic Aldus &c. Al. *perceptam* Al. *inexceptam* Al. *perfecta*.

e *Et repercussu retentam* sic Aldus. Al. *retenta*.

f *Conbiberent* sic etiam Aldus Al. *convehërent*. Heum: Marte suo *continerent*. Al. *cohererent*. Al. *cohiberent* Al. *coercerent* Nostra lectio inter omnes optima est, ut ex sequentibus apparet. *vocemque his auribus hausi. Bibere auribus* dixit Propert: L. III. ℣. 8. Horat. II. Carmin: XIII. ℣. 32. *Bibere mandata* Plaut. Pers. II. 1. ℣. 3. Tullius II. ad Atticum Epist. XIV. *Ita fac venias ad sitientes aures*.

g *Vasculis* Schottus *Cyatis*.

h *Quibus impositis solent angusti oris vasa compleri*. Schottus *infundibulis* Al. *angustiora vasa* Al. *angustiores vasa* Al. *angustioris vasis* Janus Guglielmi *ad Plaut. Menech. Quæst.* C. 4. extr. quum in Lact. Codice legisset *angustiores vasa*. *Tu* inquit, *mea fide rescribe in libro*

*tuo*

*tuo* angusti oris vasa.- *Nam in mente Lactantio fuit Quintiliani pulcherrimus locus . Ut vascula oris angusta superfusam humoris copiam respuunt , sensim autem influentibus , vel etiam instillantibus complentur* quæ merito probata fuerunt a Pareo , & Almelovenio ; Nec video quare Isæus , & Thomasius , qui Bon. Mss. Codicem nostrum , in quo clarissime legitur , ut edidimus, viderunt, lectionem tamen neglexerint,quam mera conjectura alii non sine plausu hactenus receperunt, & maxime recienti adhibita Schotti explanatione , *sicuti* enim *vasa angusti oris infundibulis complentur* , *sic auriculis vocem sensus recipit* . Vide Differt. nostram XXV. cap. III. §. VIII.

## 8.

Eas igitur aures, quibus est inditum nomen [a] a vocibus hauriendis , ( unde Virgilius : *

*Vocemque his auribus hausi* .

Quia vocem ipsam Græci αὐδὴν vocant [b] ab auditu , per immutationem literæ , aures, velut audes, sunt nominatæ ) noluit Deus artifex [c] mollibus pelliculis informare [d] , quæ pulchritudinem demerent [e] pendulæ , atque flaccentes ; [f] neque duris , ac solidis ossibus , ne ad usum inhabiles essent , immobiles , ac rigentes : sed , quod esset [g] horum medium , excogitavit , ut eas cartilago mollior alligaret , & haberent aptam simul [h] , & flexibilem firmitatem . In

a *Inditum nomen* Al. *indutum* Al. *inductum*

b *Aut quia vocem ipsam Græci* αὐδὴν *vocant* Tò *aut* non legitur in plerisque aliis. Betuleius vero locum hunc ex Phavorino illustrat, observando, αὐδὴν apud Græcos non quamcumque, sed hominis vocem solummodo significare.

c *Noluit Deus artifex* Bon. statim subdit *neque* quam particulam cum aliis plerisque omnibus delendam, utpote superfluam, censuimus. Al. *voluit Deus*.

d *Informare* Al. *formare*, ait, Walchius, quos tamen nec Bunem, nec alii viderunt.

e *Ne pulchritudinem demerent* Al. *ut pulchritudinem non* Al. *quæ pulchritudinem* Bon. *neque pulchritudinem demerent* sic in Cod.

f *Pendulæ atque flaccentes* Al. *pendulas* Al. *flaccidæ* Al. *flectentes* Plin: Lib. XI. cap. XXXVII. *Aures*, inquit, *homini tantum immobiles Ab iis Flaccorum cognomina. Nam*, ut notavit ibidem Delechampius, *a flaccidis auriculis Flaccorum Familia dicta fuit*.

g *Sed quod esset* Bon. Tò *sed* omisit.

h *Aptam simul* Al. *aptam sibi*.

* Virg. Æneid. IV. ℣. 359.

 9. 

In his audiendi tantum officium constitutum est, sicut in oculis videndi [a] quorum præcipue [b] inexplicabilis est, ac mira subtilitas [c], quia eorum orbes, gemmarum similitudinem præferentes, ab ea parte, qua videndum fuit, membranis perlucentibus texit: ut imagines

a *In his audiendi tantum officium constitutum est, sicut*

gines rerum contra positarum,[d] tanquam speculo resulgentes [e], ad sensum intimum penetrarent [f].

---

*sicut in oculis videndi* Al. *Tò officium* ad finem usque transponunt, alii vero non habent.

b *Quorum praecipue* Bon. *praecipuae*.

c *Mira subtilitas* de qua videndus omnino Galenus Lib. X. C. 6. *de usu partium*, ut appareat quam mirabile sit oculorum opificium.

d *Vt imagines rerum contrapositaram* Bon. *ut imagis* &c. Al. *rerum compositarum*.

e *Tanquam speculo refulgentes* Al. *in speculo*. Al. *relucentes* Plin. ubi supra plurima scitu dignissima de oculis habet, inter quae, & illa leguntur *Iis absoluta vis speculi, ut tam parva pupilla totam imaginem reddit hominis. Ea Caussa est, ut pleraeque alitum e manibus hominum oculos potissimum appetant, quod effigiem suam in iis cernentes, velut ad cognita sua desideria tendunt.* Vidi ego adolescentulum, altero orbum lumine, quod passerem sibi fregisse ictu rostri, narrebat.

f *Ad sensum intimum penetrarent* Isaeo, & Sparkio sibi minime constare in explicatione visionis Lactantius visus est: scilicet, fiat ne per extra missionem, an per intus susceptionem specierum; Sed falluntur nam in verbis supra expositis, & ex mox exponendis sententiam suam clarissime Lactantius exprimit; neque heic aliud innuit, nisi quod rerum imagines, ab objectis immissae, per oculos ad sensum communem transeant. Vide Diss. XXV. cap. III. §. VI.

 10. 

Per eas igitur membranas sensus ille, qui

qui dicitur mens,[a] ea, quæ sunt foris, transpicit: ne forte existimes, aut imaginum concursione[b] nos cernere, (ut philosophi dixerunt[c],) quoniam videndi officium in eo debet esse, quod videt, non in eo, quod videtur[d]: aut intensione aeris[e] cum acie, aut effusione radiorum[f]: quoniam, si ita esset, tardius, quam oculos advertimus[g], videremus, donec intentus aer[h] cum acie, aut effusi radii ad id, quod videndum esset, pervenirent.

Quum

---

a *Sensus ille, qui dicitur* MENS. Plurimi sunt, qui mentis vocabulum pro significanda Anima rotionali usurpant; mentem tamen ab animæ substantia distingui optime demonstrat infra Lactantius, cui mens est *intelligentia*, ut espresse docet L. VII. Cap. XII. Seg. 9. Author libelli *de Spiritu, & Anima* inter opera Augustini, *mens*, scite ait est, *oculus Animæ*. Vide infra Cap. XVI. 9. & Diss. nostram XXV. Cap. VII. §. XXIII.

b *Imaginum concursione* Al. *incursione* utraque voce utitur Cicero; primam siquidem adhibet I. Acad. quæst. 6. *fortuita concursio corpusculorum* secundam vero L. I. de Nat. Deor. 115. *atomorum incursione sempiterna* Bonon. *incursione* ut etiam Aldus notavit. Scilicet pro eo, quod est *in concursione imaginum*, & forte *imaginum in concursione* sed præpositio *in* supeuflua semper est, & heic minime apta. Aldus de hoc Gellium L. v. pag. 216. consulendum monet.

c *Ut Philosophi putarunt Plutarchus L.* IV. *de Plac. Philos. Cap.* XIII. *Democritus* inquit, *& Epicurus visum contingere existimant propter Idolorum* (hoc est imaginum)

num) *incursus*. Sic Laertius L. IX. Seg. 44. Idem Plutarc. in Sympos. L. VIII. quæst. x. & L. I. adv. Colotem.

d *In eo debet esse, quod videt; non in eo, quod videtur*. Gass. Phys. Sect. III. L. VII. C. V. pag. 325. ex Plutar., Laertio, & Macrob. Aristotelem, & Lactantium exponit: ac Democriti, & Epicuri sensa declarat.

e *Aut intensione aëris*. Sic cum Schotto lego, ubi Al. plerique omnes tam editi, quam Mss. habent *intentione* quamvis utroque modo scribi posse non denegem. Hæc opinio Platoni ab eodem Plutarcho *de Placitis* ubi supra tribuitur, explicaturque ab eodem *in Sympos.* L. I. *quæst*, 8. Plato vero in *Timæo* pag. 481. seq.

f *Aut effusione radiorum*. Multifariam hanc radiorum effusionem explicant Philosophi apud Plutarchum L. C., ut diximus Diss. XXV. Cap. III. §. VI.

g *Tardius, quam oculos advertimus* Sic Latini. *Animum*, *mentem*, *aures*, *oculos advertere*, pro *convertere* dixerunt. Al. *oculis* Al. *radium*, *quem oculis* Al. *radius* &c.

h *Intentus aër* Al. *intensus*, ut paullo supra *inensio*, & *intentio*.

 II. 

Quum autem videamus eodem momento temporis, plerumque vero aliud agentes, nihilominus tamen universa, quæ contra posita sunt [a], intueamur, verius, & manifestius est, men-

a *Quæ contra posita sunt* Al. *quæ contra sunt posita* Al. junctim *contraposita*.

Men-

mentem esse, quæ per oculos [b] ea, quæ sunt apposita, transpiciat, quasi per fenestras perlucente vitro [c], ut speculari, lapide [d] obductas.

b *Mentem esse, quæ per oculos* Cicer. L. 1. Tuscul. Quæst Cap. 20. Asseruit, *Animum & videre, & audire; non eas pertes, quæ, quasi fenestræ sunt animi, quibus tamen sentire nibil queat mens, nisi id agat, & adsit.* Isæus *juxta illud vulgatum*, inquit, *Heracliti, de quo meminit Arist. Probl. Sect.* II, 33. At Epicharmo hanc sententiem tribuit Tertull. *de Anima* Cap. XVIII. cujus carmen esse dicitur illud, a Plutarcho *in lib. de fortuna* recitatum *Animus cernit, animus audit, reliqua surda, sunt, & muta.*

c *Quasi per fenestras perlucente vitro* Al. *lucente* Al. *quam lucente* Al. *pellucente.*

d *Aut speculari lapide.* Vide ad sympos. Aenig. LXVII.

 12. 

Et iccirco mens, & voluntas ex oculis sæpe dignoscitur [a]. Quod quidem, ut refelleret Lucretius *, ineptissimo usus est argumento [b]. Si enim mens, inquit, per oculos videt: erutis, & effossis oculis magis videret: quoniam evulsæ cum postibus fores plus inferunt luminis, quam si fuerint obductæ,

Ne-

a *Et iccirco mens, & voluntas ex oculis sæpe dignoscitur.* Cicer. de Orator. L. III. prope finem. *Animi, inquit,*

*inquit, est omnis actio, & imago animi vultus est, indices oculi; nam hæc est una pars corporis, quæ quot animi motus sunt - tot significationes, & commutationes possit efficere .... Actio, qua præ se, motum animi fert, omnes movet; iisdemque omnium animi motibus concitantur, & eos iisdem notis, & in aliis agnoscunt, & in se ipsi judicant*. Adde Plin. L. xi. Cap. xxxvii. *In oculis animus habitat, ardent, intenduntur, humectantur, connivent .... Hos quum osculamur animum ipsum videmur attingere*. Adde de Chamb. in Libr. *de Passionum Charact*:

b *Lucretius ineptissimo usus est argumento* Scilicet L. III. a ℣. 360. ubi post quam dixerat.

*Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,*
*Sed per eos animum, ut foribus spectare reclusis,*
*Desipere est* &c.

Subdit ℣. 368.

*Præterea, si pro foribus sunt lumina nostra*
*Jam magis exemptis oculis debere videtur*
*Cernere res animus, sublatis postibus ipsis.*

Hæc quum Gassendus cum iis contulisset, quæ Lactantius heic habet. *Expende tamen*, inquit, *ut quicquid sit de rationis vi, saltem videri sententiam non improbari a Lactantio; quum nihil aliud contendat Lucretius, quam non esse nobis oculos, quasi foramina, aut fenestras, quibus animus videat*. Vide Diss. xxv. Cap. III. §. v. & vi.

* Lucr. L. III. a ℣. 368.

 13. 

Nimirum ipsi, vel potius Epicuro, qui eum docuit, effossi oculi erant, ne viderent, effossos orbes [a], & ruptas oculorum fibras,

a *Effosos orbes*. Al. *effusos* Bon. *orbis effosus*.

fibras, & fluentem per venas ſanguinem, & creſcentes ex vulneribus carnes, & obductas ad ultimum cicatrices nihil poſſe lucis admittere, niſi forte auribus oculos ſimiles naſci volebant [b], ut non tam oculis, quam foraminibus cerneremus. Quo nihil ad ſpeciem foedius, ad uſus inutilius [c] fieri poteſt.

b. *Auribus oculos ſimiles naſci volebant* Al. *oculos naribus* Al. *volebat* male, nam de Lucretio, & Epicuro heic loqui apparet.

c *Ad uſus inutiles* Al. *ad viſum* Aldus *ad uſum* Al. *inutilis*.

 14. .

Quantulum enim videre poſſemus [a], ſi mens ab intimis penetralibus capitis [b] per exiguas cavernarum rimulas attenderet: ut ſi quis velit [c] tranſpicere per cicutam [d], non plus profecto cernat, quam cicutæ ipſius capacitas comprehendat [e].

Ita-

a *Videre poſſemus* Bun. *poſſimus*.

b *Si mens ab intimis penetralibus capitis*. Ubi ſcilicet imagines rerum contra nos poſitarum rectum ſtatum per actionem radiorum in nervis opticis recuperant, nam in fundo oculorum inverſæ pinguntur. Vide Diſſ. xxv. ubi id, locis jam ſupra indicatis, demonſtramus.

c *Ut ſi quis velit* Bon. *vellit*, Al. *vellet*. Quæ ſequuntur noſtræ congruunt lectioni.

d *Tranſpicere per cicutam*. Servius ad Virgil. Eclog. II. ℣. 36.

Eſt

*Est mihi disparibus septem compacta cicutis*
*Fistula* : notavit. *Cicuta est spatium quod reperitur inter cannarum nodos*. Vide infra ad Cap. xi. Seg. 7. Posset tamen heic sumi etiam pro caule vacuo ipsius cicutæ, sive pro quocumque tubulo utrimque perforato, per quem si quis cerneret, lentibus opticis non adhibitis, non plus de objecto cerneret, quam illius diametri capacitas metiretur. Num heic Thelescopii rationem, ceu in specimine quodam, suspicandam esse, censeant eruditi, scire desidero; antiquis enim eam omnino ignotam fuisse, non facile credam; nam non solus Lactantius eam heic indicat, sed, Rogero Baconio teste, simili instrumento usus est Cæsar, quum è Gallicano litore Angliæ portus, & Urbes conspexit. Idemque Author se thelescopio usum, Sæculo xiii., quo floruit, in suo *de Perspectivis* minori opere, manifestissime tradidit, quod Clementi IV. Rom. Pontifici nuncupavit.

e *Comprehendat*. Addunt punctum interrogationis nonnulli; sed merito a plerisque omnibus aliis negligitur, quum nullam heic vim tribuat orationi.

 15. 

Itaque ad videndum membris potius in orbem conglobatis [a] opus fuit: ut visus in latum spargeretur, &, quæ in primori facie adhærent [b], ut libere possent omnia contueri [c].

H Ergo

a *In orbem conglobatis*. Sic enim quicquid oculis, adversus aliquam rem defixis sursum, deorsum, ad latera, & circumquaque, occurrat, ab eis attingi poterit, quod contingere nequiret, nisi in orbes essent conglobati.

*Et*

b *Et, quæ in primori facie adhærent* Al. *in priori* Al. *adhærerent*.

c *Possent contueri* Al. *possint*.

 16. 

Ergo ineffabilis divinæ providentiæ virtus fecit duos simillimos orbes [a]: eosque ita devinxit, ut non in totum converti [b], sed moveri tamen, ac flecti commode possent [c]. Orbes autem ipsos humoris puri [d], ac liquidi plenos esse voluit: in quorum media parte scintillæ luminum [e] conclusæ tenerentur, quas pupillas nuncupamus: in quibus puris, ac subtilibus cernendi sensus, ac ratio continetur. Per

a *Duos simillimos orbes* simillimos in figura, non autem in colore, nam, ut ait Plinius loco supra laudato, in hominibus non uno sed diverso sunt oculi colore insigniti. Al. *similes*. Sed quamquam diversimode coloratis oculis utuntur homines, adeo, ut hoc veluti signo nationes distinguantur: raro tamen accidit, eidem homini alteram cæsiam, alteram flavum aut nigram inesse pupillam. Quamobrem constat omnino, singulis duos simillimos esse orbes.

b *Vt non in totum converti*. Post *Tò in totum* . . . tria apparent in nostro Cod. puncta, quæ aliquid indicant ibidem deesse.

c *Ac flecti commode possent*. Al. *cum modo*. Sic Schottus, & alii nonnulli.

d *Humoris puri* Bon. *humores*. Triplex est humor iste, *aqueus* nimirum *Chrystallinus*, ac *vitreus*, de quorum discrimine vide Diss. XXV. sæpe laudatam.

e *Scintillæ luminum*. Plato ignem in oculis omnibus posuit; & in quorundam animalium pupillis, etiam recentiores philosophi recognoscunt. Arist. L. *de sensu*, *& sensib.* Cap. II. hanc opinionem impugnaivt. Thom. Bartholinus rem optime declarat L. 1. *de luce Homin.* Cap. XVI. Quid autem heic Lactantius indicare voluerit, suo loco a nobis dictum est.

 17. 

Per eos igitur orbes seipsam mens intendit, ut videat [a]: miraque ratione in unum miscetur, & conjungitur amborum luminum visus [b].

a *Se ipsam mens intendit, ut videat*. I. E. *attendit*: sese *applicat*. Cicero hac phrasi sæpe utitur de sensibus, mente, at intelligentia loquens.

b *Amborum luminum visus*. Quamquam in utraque pupilla pingatur rei contra nos positæ imago, non duas tamen, sed unam nos rem videmus, quia ad cerebrum non duplex, sed una tantum, vividior quidem, utpote ex duabus ficta, effigies pertransit.

## CAPUT IX.

 1. 

Libet hoc loco illorum reprehendere vanitatem [a], qui dum volunt ostendere sen-



a *Illorum reprehendere vanitatem*. In nostro Bon. Cod. sub *Tò illorum* puncta plurima, apparent, ad indicandam fortasse correctionem, quam nobis innuit Isæus

ſenſus falſos eſſe [b], multa colligunt, in quibus oculi fallantur: inter quæ illud etiam, quod furioſis, & ebriis [c] omnia duplicia videantur: quaſi vero ejus erroris obſcura ſit cauſa.

Iſæus in ſuis variantibus. *Archeſilæ reprehendere vanitatem* quæ tamen lectio Codicis noſtri non eſt; ſed Bononienſis Longobardici, cujus lectionem Aldus repræſentat. Cicero de oratore. *Arceſilas*, *ait*, *nihil eſſe certi*, *quod aut animo percipi poſſit cum Scepticis aſſeruit*. ſæpe de eo Lactantius L. III. Cap. IV., & ſeq. Heic vero non eum ſalummodo, ſed alios reprehendit, & præcipue illos, qui exemplo, a furioſis, & Ebriis deſumpto, quibus objecta duplicia videntur, ſenſus eſſe falſos contendebant oſtendere.

b *Senſus falſos eſſe*. Lucret. L. IV. a ℣. 449. Si pupilla, aut nervi optici parumper loco moveantur geminantur imagines, quæ non amplius in unum coire poſſunt ſejugatis radiis. Vide Ariſt. Problem; Sect. III. ſeq.

c *Quod furioſis, & ebriis*. In his motus fit intrinſecus, quo nervi diſtrahuntur, nec in unum convenire poſſunt imagines objectorum, que per eos ad ſenſum deferuntur; ut infra declarabimus.

 2. 

Ideo enim fit, quia duo ſunt oculi. Sed quomodo id fiat, accipe. Viſus oculorum intentione animi conſtat [a]. Itaque quoniam mens (ut ſupra dictum eſt) [b] oculis tanquam fe-

a *Viſus oculorum intentione animi conſtat*. I. E. atten-

fenestris utitur: non tantum hoc ebriis, aut insanis accidit, sed & sanis, & sobriis [c]. Nam si aliquid nimis propius [d] admoveas, duplex videbitur. Certum est enim intervallum, ac spatium, quo acies oculorum coit [e].

---

*attentione*, ab *attendo*, quod verbum sicuti *intendo* plenam non habet significationem, nisi addas *animum*, vel *oculos*, aut quid simile.

b *Ut supra dictum est* I. C. VIII. Seg. II.

c *Sed & sanis, & Sobriis* Al. *sed etiam sanis, ac sobriis*.

d *Nimis, propius* Al. *Tò nimis* nam habent, Al. cum Erasmo. *Nimis prope*. Columbus ex conjectura *nimio proprius*. Intellige: *nimis, aut propius*.

e *Quo acies oculorum coit*. In coni modum duplex radius ad oculos procedit ab omni objecti puncto, ita ut ipsius cuspis ibidem incipiat, basis autem in utraque pupilla desinat; cui deinde alter conus opponitur, qui ex radiis ipsis, pupillam ingressis, atque ob refractionem in unum retinæ punctum collectis, componitur, cujus basis in pupillis pariter est: mucro vero in fundo oculi. Ubi, quia imaginem pingit, *penicilli optici*, nomen acquirit; quum ergo duo sint oculorum orbes, & duo penicilli, duæ etiam erunt diversæ rerum visarum imagines, si antequam radii coeant, mutari, aut impediri quocunque modo contingat. Vide Diss. XXV. Cap. III. §. VII.

 3. 

Item si retrorsum [a] avoces animum, quasi ad



---

a *Item si retrorsum* Bon. *retrorsus*.

ad cogitandum, & intentionem mentis [b] relaxes, tum acies oculi utriusque diducitur [c], & singuli videre incipiunt separatim [d]. Si animum rursus intenderis, aciemque direxeris, coit in unum, quicquid duplex videbatur.

---

b *Et intentionem mentis*. I. E. *attentionem* ut Segmento superiori annotavimus.

c *Tum acies oculi utriusque diducitur*. Sic etiam Aldus Al. *cum* Al. *tunc* Bon. *deducitur*. Male: sensus enim est: tunc acies illa coni, seu Pyramidis, de qua supra locuti sumus, separatur, aut disjungitur; nec unum idemque punctum, sed duplex attingi necesse est a radiis, quibus componi debuerat idem conus.

d *Et singuli videre incipiunt separatim*. Al. *tunc singuli*. Al. *tum* Aldus nobiscum legit.

 4. 

Quid ergo mirum, si mens veneno, ac potentia vini dissoluta [a], dirigere se non potest ad videndum, sicut ne pedes quidem ad ambulandum, nervis stupescentibus [b], debiles? Aut si vis furoris in cerebrum sæviens, concordiam disjungit oculorum [c]? Quod adeo verum est, ut luscis hominibus [d], si aut insani, aut ebrii fiant, nullo modo [e] possit accidere, ut aliquid duplex videant [f].

Quare

---

a *Si mens veneno, ac potentia vini dissoluta*. Heic Lactantius mentis vocabulum usurpat ad sensum illum communem indicandum, in quo prima impressio fit spe-

fpecierum ab organis externis delatarum. Is quippe in membrana confiftit, quæ nec tenfa nimis, nec admodum laxa effe debet, ut fuo fungatur officio. Vid. Diff. xxv. Cap. iv. §. i.

b *Nervis ftupefcentibus*. Stupidi remaneant nervi toties neceffe eft, quoties per eorum cavitates fpiritibus non datur effluxus, qui in ebriis, & furiofis ob abundantiam mutuo fefe impediunt. Vide Diff. xxv. Cap. II. §. viii.

c *Concordiam disjungit oculorum*. Nervi optici prope infundibulum conjunguntur, in unum, veluti fafciculum, qui fejungi, aut mutari pluribus ex caufis folet. Ut E. g. nimia quorundam intumefcentia, ex abundantia fpirituum conturbatorum orta; Aut etiam compreffione, a proximioribus facta. Sufficit enim quæcumque, etiam leviffima fitus mutatio; ut apparet, quum digito oculi orbem vel depriminius, vel erigimus: Unde Lucretius L. iv. a ℣. 448.

*At fi forte oculo manus uni fubdita fubter*
*Preffit, cum quodam fenfu fit, uti videantur*
*Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo.*

Idem etiam contingere ex perturbato fpirituum motu in furiofis, ut fupra diximus, expreffit Virgilius Æn. a ℣. 469.

*Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus;*
*Et folem geminum; & duplices fe oftendere Thebas.*

d *vt lufcis hominibus* Schottus *feu ftrabonibus*. Lufcus is proprie dici folet, qui altero captus eft oculo: Idcirco Lactantius *in fympofio* ænig. xcii. quod eft *de Lufco alium vendente*, Lufit. ℣. 2.

*Vnus ineft oculus, capitum fed millia multa.*

Hocce experimento folvuntur quorundam argumenta adverfus explicationem vifionis, quas hactenus cum Lactantio, opticifque melioribus tradidimus Diff. xxv. Cap. III. §. v.

e *Nullo modo* Al. *nullo pacto*.
f *Duplex videant* Bon. *videat*.

 5. 

Quare si ratio apparet, cur oculi falluntur [a], manifestum est, non esse falsos sensus, qui aut [b] non falluntur, si sint [c] puri, & integri, aut si falluntur, mens tamen non fallitur [d] quæ illorum novit errorem [e].



CA-

a *Cur oculi falluntur* Al. *cur illi* Al. *fallantur* Aldus nostram lectionem præfert.

b *Qui aut* Al. *quia aut*.

c *Si sint* Al. *si sunt*.

d *Mens tamen non fallitur* quando, & quomodo id contingat vide Diss. XXV. cap. VI. §.v.

e QUÆ ILLORUM NOVIT ERROREM Mens sana, id est externo dumtaxat motu oculorum duplicem recipiens imaginem objecti, ita illam accipit, ut bene animal dignoscat unum ibidem adesse objectum, cujus geminatur imago. Iccirco idem Lucr. eodem L. IV. a ℣. 480. ait.

*Invenies primis ab sensibus esse creatam*
*Notitiam veri, neque sensus posse refelli.*

## CAPUT X.

 I. 

SEd nos ad Dei opera revertamur. Ut igitur oculi munitiores essent ab injuria, ciliorum tegminibus[a] occuluit: unde oculos esse dictos, Varroni placet[b].

Nam

---

a *Ciliorum tegminibus* Al. *eos ciliorum* Schottus *tegiminibus* - Krebsius, & Walchius vocabulum hocce *Cilium* scilicet, pro *supercilio* notant male accipi a Lactantio, sed ferula critica abutuntur. Heic enim Lactantius non de *superciliis* loquitur, sed de *Ciliis* ipsis, id est, de palpebris, seu de folliculis, quibus oculi teguntur, quorum unumquodque *Cilium* Latini appellarunt authore Festo. Adde Plinium L. XI: Cap. XXXVII. Isidor Orig. Lib. XI. Cap. 1. Nicolaum Perotti in Corn.L.L. col. 64. lin 58. & col. 65. lin.15., & Steph. in Thes. ubi nescio qua ratione sit additum *Isidorum*, *& Lactantium parum constare sibi inspectis locis perspicies* nisi ad ea, quæ statim sequuntur referendum sit. Sequitur enim,

b *Unde oculos esse dictos, Varroni placet* Al. *dictos esse*. Quasi *ocilios* unico *c* non duplici, ut perperam putavit Betuleius, qui, *sequuntur*, ait *Varronem Grammatici*, *pugnante interim scriptionis*, *& quantitatis ratione*. *Nam* oculus *simplici* c *primam brevem habet*: occulere *vero eandem geminato* cc *positionem producit* Nesciens quod non ab *occulo*, sed a *Celo* voces istæ derivatæ sunt teste Sypontino ubi supra. Hic enim sic ait. A *Celo* fit compositum oc-

*occulo*, a quo *occulto* . . . & *oculus* quod *Ciliorum* (*quæ & ipsa a Celando dicuntur*, *unde supercilia*) *tegminibus* occulatur, *a* quo oculatus &c. Stephani autem in ℣. *oculos* idem repetunt, quod Lactantius heic habet. Aldus annotat. *Oculi conniventes melius intuentur*. Vidi etiam apud Tertull. *oculo - as* - pro eo, quod est - *Tò visum cæco*.

 2. 

Nam & ipsæ palpebræ, quibus mobilitas, id est, palpitatio, vocabulum tribuit [a], pilis in ordine stantibus vallatæ [b], septum oculis decentissimum præbent. Quarum motus assiduus incomprehensibili celeritate concurrens, & videndi tenorem non impedit, & reficit obtutum [c].

Acies

a *Quibus mobilitas*, *id est*, *palpitatio*, *vocabulum tribuit* sic ex nostro Cod. restituo, ubi Al. *Quibus mobilitas inest. palpitatio* &c. Al. *& palpitatio* Cicero L. II. de N. D. *Palpebræque*, *quæ sunt tegumenta oculorum*, *mollissimæ tactu*, *ne læderent aciem*, *aptissimæ factæ*, *& ad claudendas pupulas*, *ne quid incideret*, *& ad aperiendas*: *idque providit ut identidem fieri possit cum maxima celeritate*. Hinc optime a palpitando dictæ noscuntur, nam *palpito* leviter, & frequenter moveri, eodem Cicerone, interprete, significat.

b *Pilis in ordine stantibus Vallatæ* Bon. *in ordinem* Cicer. ubi supra *Munitæque sunt palpebræ, tamquam vallo pilorum*.

c *Et reficit obtutum* Bon. *Optutum*.

 3. 

Acies enim, id est, membrana illa perlucens [a], quam siccari, & obarescere [b] non oportet, nisi humore assiduo tersa reniteat, obsolescit [c].

---

a *Acies enim, id est membrana illa perlucens* Cicero ubi supra *Acies ipsa*, qua *cernimus*, *quæ pupula vocatur*.

b *Quam siccari*, *&* *obarescere* Bon. *siccare* Al. *arescere*.

c *Nisi humore assiduo tersa reniteat*, *obsolescit* Al. *tersa pure niteat* -

 4. 

Quid ipsa superciliorum fastigia [a] pilis brevibus adornata? non ne quasi aggeribus, & munimentum [b], oculis, nequid superne incidat, & speciem simul præstant? Ex quorum confinio nasus exoriens, & veluti æquali porrectus jugo, utranque aciem simul & discernit, & munit.

In-

---

a *Superciliorum fastigia* -Apulejus L. 1. Hab. Doctr. Plat. apud Bunem *Superciliorum*, *inquit*, *sepes præmuniunt oculos*, *ne desuper proruat*, *quod teneras visiones*, *mollesque perturbet*.

b *Quasi aggeribus*, *&* *munimentum* Al. *monimentum* Bon. *Munimento* male, ut duplex copula ostendit.

 5. 

Inferius quoque genarum non indecens tumor, in similitudinem collium leviter exurgens [a], ab omni parte oculos efficit tutiores provisumque est ab artifice summo, ut si quis [b] forte vehementior ictus extiterit, eminentibus repellatur [c].

a *In similitudinem collium leviter exurgens* Bon. & *leviter exurgens* Al. *leniter* Cicero L. II. de N. D. Genæ deinde ab *inferiore parte tutantur subjectæ leviter eminentes*

b *Ut si quis* Bon. *Qui*.

c *Eminentibus repellatur* scilicet aggeribus superciliorum desuper, & genarum inferius. Unde erravit Heum. quum heic ait *mendum*: *an forte conniventia*? Item erravit Langletius dicens-*Heumannus putat legendum eminentia*, quod ne cogitavit quidem. Cicero ubi supra- *Latent* inquit, *oculi*, *& excelsis undique partibus sæpiuntur*.

 6. 

Nasi vero pars superior usque ad medium [a] solida formata est, inferior autem cartilagine adherente mollita [b], ut ab usu digitorum [c] possit esse tractabilis.

In

a *Usque ad medium*- In aliq. Tò *usque* non legitur.

b *Inferior autem cartilagine adhærente mollita*, *ut ab usu digitorum* Al. *adhæret molli ita ut ad usum digitorum* Al. *cartilagini adhæret molli, ut* Al. *Chartilagini adhæ-*

*adhæret molita*. Nobiscum ex recentioribus legit Langletius ex suis Mss. Sic etiam Cellar; Walch. Heum. Bun.

d *Ab usu digitorum* Al. *ad usum* Digitis enim tergi debet, nec sine eorum usu posset nasus cerebri excernere purgamenta. Unica voce *abusu digitorum* posset etiam legi. Mimi enim naso abutuntur, eum digitis deprimendo, aut detorquendo, sed quum heic de fine agatur quare opifex summus membrum hocce fecerit *tractabile*, locum non habet ista explicatio.

 7. 

In hoc autem, quam simplici membro [a] tria sunt officia [b] constituta: unum ducendi spiritus, alterum capiendi odoris, tertium ut per ejus cavernas [c] purgamenta cerebri defluant: quas ipsas Deus [d] quam mirabili, quam divina [e] ratione molitus est, ut tamen hiatus ipse nasi, oris speciem non deformaret [f]!

Quod

a *In hoc autem quam simplici membro* - Al. *quamvis simplici* non te a nostra lectione removeat quod Tò *quam* hocce sensu superlativis plerumque jungitur, non enim exempla desunt Ciceronis, Livii, & Cæsaris, apud quos etiam positivis additur. E. G. *quam forti animo* - *quam dives* - *quam cito* &c.

b *Tria sunt officia* - sic Aristotel *L.* I. *Hist. Animal*, Et Galen. L. VI. *de usu part.* cap. IX. -

c *Ut per ejus cavernas* - *Tò ejus* in plerisque non legitur.

d *Quas ipsas Deus* - Al. *Quam ipsas Deus* - Al. *Quas ipse Deus* - *Quam*

e *Quam mirabili*, *quam divina* Scottus Al. *tam mirabili*, *quam divina* male, nam sensu mirativo heic Noster loquitur.

f *Non deformaret* Al. *non deformet* - Al. *difformaret*.

 8. 

Quod erat plane futurum, si unum, ac simplex [a] foramen pateret. At id, velut pariete [b] per medium ducto, intersepsit, atque divisit fecitque ipsa duplicitate [c] pulcherrimum.

a *Si unum*, *ac simplex* secunda, & tertia vox in quibusdam desunt, *quas* tamen etiam *Aldus* restituendas censuit.

b *At id*, *velut pariete* - Bon. *Ad velut parietem* -

c *Ipsa duplicitate* de hac voce vide supra cap. VIII. Seg. 6.

 9. 

Ex quo intelligimus [a], quantum dualis numerus [b] una, & simplici compage solidatus, ad rerum valeat perfectionem. Nam quum sit corpus unum, tamen totum ex simplicibus membris constare non poterat, ut essent partes [c] vel dextræ, vel sinistræ [d].

Ita-

a *Ex quo intelligimus* sic etiam Schottus Al. *intelligitur*.

b *Dualis numerus*- Servius ad Virgil. Æn. L. II. ℣. 1. *Nec est*, inquit, *ut quidam dicunt* DUALIS NUMERUS, *qui*

*qui apud antiquos nusquam penitus invenitur* - Quod non de voce, sed de numero a vocibus indicato intelligendum est; Nam ante ipsum Servium dixerat Quintilianus L. 1. Inst. Cap. IX. de numero verborum loquens *Quamquam fuerunt, qui nobis quoque adiicerent* DUALEM, SCRIPSERE, LEGERE, *quod devitandæ asperitatis gratia mollitum est, ut quod veteres pro* male mereris - male merere; *ideoque quod vocant* duale, *in illo solo genere consistit, quum apud Græcos, & in verbi tota fere ratione, & in nominibus fere deprehendatur, & sic quoque rarissimus ejus sit usus: apud nostrorum vero neminem hæc observatio reperiatur, quin e contrario: devenere locos & conticuere omnes* & *consedere duces aperte nos docent nil horum ad duos pertinere* Adde ex Bunen. Gloss. Cyrilli, Interpretem antiquum S. Irenæi, Falsterum subl. LL: p. 104. -

c *Constare non poterat, ut essent partes* Al. *nisi ut essent partes* Heum. *Locus*, ait, *mendosus*, quem nos ex nostro Cod. emandamus,

d *Vel dextræ vel sinistræ* Bon. *vel ut dextræ vel siniastræ* -

 10. 

Itaque ut pedes duo, & item [a] manus, non tantum ad utilitatem, atque usum vel gradiendi [b], vel faciendi valent [c], sed & habitum, decoremque admirabilem conferunt: sic & in capite [d], quod totius divini operis quasi

a *Et item* Al. *& idem*.

b *Non tantum ad utilitatem, atque usum, vel gradiendi* &c. Al. *ad utilitatem aliquam, usumque*.

quasi culmen est, & auditus in duas aures, & visus in duas acies & odoratio [e] in duas nares a summo artifice divisa est; quia cerebrum, in quo sentiendi ratio est, quamvis sit unum, tamen in duas partes membrana interveniente, discretum est [f].

c *Vel faciendi valent* Bon. *valet*.

d *sic in Capite* sic etiam Aldus Al. *sic & in* &c. Al. *sicut*.

e *Et odoratio* Al. *odoratus* sed repugnat *divisa est* - Cicero IV. Tuscul. 20. *Et qualis est hæc aurium, tales sunt oculorum, & tactionum, &* odorationum, *& saporum*.

f *In duas partes, membrana interveniente, discretum est* Al. *distinctum est* Betuleius hasce partes putavit esse cerebri Ventriculos; Alii Lactantium de utraque cerebri parte ita locutum esse putant, ut anteriorem, quæ cerebrum, & posteriorem, quæ cerebellum appellatur, indicare voluisset; quamquam posterior hæc pars vix decima portio sit totius cerebrosæ substantiæ, ut diximus Diss. XXV. Cap. II. §. VII. At quum de cerebri partibus loquatur, quæ membrana interveniente dividuntur, jam exploratum esse debet, eum loqui de parte dextra, & sinistra ipsius Cerebri, quas per septum lucidum a fronte ad occiput dirimi ibidem docuimus.

 11. 

Sed, & cor, quod sapientiæ domicilium videtur [a], licet sit unum, duos tamen in-

a *Sed & Cor., quod Sapientiæ domicilium videtur* -

intrinsecus sinus habet [b], quibus fontes vivi sanguinis continentur [c], septo intercedente divisit [d] ut sicut in ipso mundo summa rerum vel de duplici simplex vel de simplici duplex, & gubernat, & continet totum [e]: ita in corpore de duobus universa compacta, indissociabilem [f] prætenderent [g] unitatem.

I Oris

Plin. loco sæpe in hocce libro a nobis laudato, de corde loquens - *Prima domicilia*, inquit, *intra se animo*, *& sanguini præbet*, *sinuoso specu*, *in magnis animalibus triplici*, *in nullo non gemino*. *Ibi mens habitat*. *Ex hoc fonte duæ grandes venæ in priora*, *& terga discurrunt*. Quæ Lactantio elegantissime hæic describuntur, quamvis infra minime probare videatur sententiam, quæ sedem animæ collocat in corde. Vide Diss. XXV. cap. VII. §. XXI.

b *Licet sit unum*, *duos tamen intrinsecus sinus habet* Elephantis, & Lyncibus duplex cor inesse Mauri tradiderunt apud Aelianum *hist. Anim.* XIV. VI., & altero quidem ira incendi, altero mitigari, ac leniri, vulgatum est. Item Plinius L. XI. cap. XXVII. *In Paphlagonia*, inquit *bina perdicibus corda*. Nec inter homines duplici corde quosdam præditos defuisse cum suo, tum antiquiori ævo testatur Zacutus Lusitanus L. II. *de Medic. Princip. Hist.* XXXVII. Adde Journ. des Sav. 2. Maii 1678. p. 175. Galenus lib. VI. de *usu partium* cap. IX. duos tantum sinus in corde agnovit, ut heic docet Noster inter se valde dissimiles, Aristoteles vero L. III. de part. cap. IV. Hist. Anim. L. I. cap. XVII. Et L. III. cap. III. Tres sinus in eodem corde describit, & maximum quidem in dextera, minimum in sinistra, me-

dium

dium inter utrumque in parte ejus media asseruit reperiri; Sed in hoc errasse Aristotelem, sicuti in aliis plerisque ad rem medicam pertinentibus, demonstrant Anatomici, qui etiam Cartesium reprehendunt, asserentem in suo *tractatu de Methodo recte regendæ rationis* sinistrum cordis ventriculum dextero majorem esse, quem tamen excusare gestit Craanen *dissert. de Homine* cap. XVI. ubi ait - *uno Verbo dicimus*, *Cartesium hunc Ventriculum inspexisse oculo Philosophico*, *&* *non anatomico*, *&* *quum sanguis ebulliret in eodem*, *non quando nullus ei inesset motus*. Cattierius lib. II. histor. XXXVIII. mentionem facit de corde sine ventriculis reperto, quod tamen qui fieri potuerit medicorum peritissimi nondum intelligunt. Stephanus Hales in suis experimentis *ad Static. Anim. Esempl. III. §. 37. seqq.* cera infusa equini cordis sinistrum ventriculum metatus est, quem consule si lubet.

c *Quibus fontes vivi sanguinis continentur* Cor venarum, arteriarumque originem esse, nemo nunc ignorat, nec ignotum omnino antiquis fuisse dicitur, si quidem Plinius loco paullo superius laudato, & ante ipsum Plato in Timæo idem indicant. Errarunt tamen omnes Medici, & Philosophi, saltem ante Cæsalpinum, Vesalium, Michaelem Servetum, Helfrigum Dietericum, quorum inventis Paulus Sarpius, & post eum Guilhielmus Harveus lucem attulere maximam circa sanguinis venosi motum. Quibus omnibus Noster quodammodo præivisse videtur, non unum, sed duplicem sanguinis fontem in corde recognoscens quorum rivuli, per universum corpus divisi, membra omnia irrigarent, ut superius cap. VII. seg. 2. dixerat; sicuti enim ex lævo cordis sinu per *Aortam*, & ex dextro per *arteriam pulmonariam* sanguis effluit, totumque corpus vivi animalis perluit; sic in dextrum per venam *Cavam*, in sinistrum

per

per *venam pulmonariam* perfecto circulo refluit. Vide supra ad Cap. VII. seg. 2., & Diss. xxv. cap. II. §. IX. seq.

d *septo intercedente divisi*. Gravis aliquando fuit, nec penitus finita controversia est circa sanguinis transmissionem ex dextro in sinistrum cordis sinum, quum scilicet non satis manifesta esset via, & connexio Arteriæ, ac venæ pulmonariæ; ideoque putarunt nonnulli septum dividens cordis sinus esse perforatum, ut inter recentiores docuerunt Riolanus, & Payanus apud Gassendum *Phys. Sect. III. L. III. de Partib. Anim*: Hanc vero opinionem rejiciunt nuuc Anatomiæ periti, & egomet quosdam meatus acu obtusa explorare volui, quos in cordibus quorundam animalium observavi, dum ea ad experimenta Juvenes, anatomiæ studentes, in Nosocomio S. Johannis in Laterano de more parabant; Sed nulla patens via reperta mihi aliquando fuit in illis.

e *Ut sicut in ipso mundo summa rerum vel de simplici duplex, vel de duplici simplex, & gubernat, & continet totum* Bon. *de duplici simplex* punctis prima elementa horum Verborum consignat. Bunemanno hæc sumenda de duobus principibus elementis, igne, & aqua, ex quorum discordi concordia mundum constare dixit Lactantius L. II. cap. IX. a Seg. 15., & Cap. VIII. a Seg. 6. suæ Editionis, in nostra vero C. X. Seg. 17. visa sunt. At incongrua est explicatio, quum Lactantius nec ibi, nec alibi unquam docuerit Elementis summam rerum constare, eisdemque gubernari mundum, quem ubique divinæ subdidit Providentiæ. Melius ergo Antonius Thysius in postrema pagina suæ editionis Lugd. Bat. an MDCLII. 8o. Heumanno laudatus, ea interpretatus est de Deo Patre, & Filio Iuxta sententiam ejusdem Lactantii L. IV. Cap. XXIX. Seg. 3. *Quum dicimus Deum Patrem, & Deum Filium, non diversum*

*dicimus*, *nec utrumque secernimus* &c. . . . *Una utrique mens*, *unus spiritus una substantia est*. Optime tamen de Trinitatis augustissimo Mysterio hæc mihi intelligenda videntur; siquidem de simplici Patris æterni persona, duplex, & quælibet in natura æqualis, producitur persona, una quidem per generationem, per spirationem altera. Itemque a duplici, Patris nimirum, & Filii persona, simplex Spiritus Sancti hypostasis spiratur, invicem tam arcto vinculo conjunctæ, ut *indissociabilem prætendant in natura unitatem*. Vide Diss. XXIX. Cap. V. §. VII.

f *Indissociabilis* Vox ex antiquis minime nota, digna tamen ut in suis L.L. thesauris Stephani, & Fabri reponerent, ubi hunc locum laudant, & addunt. *Conf. Ambros. Epist. XIV. pr.* Author vero Anonymus *in Breviario fidei adversus Arianos*, editione P. Sirmundi pag. 95. *Mens*, ait, *indissociabiliter una*. Et Tacitus in Agricol. *Res olim*, inquit, *dissociabiles*.

g *Prætenderent* - Defendi hoc non potest, inquit Heumannus - *Lego tenerent* - At Bunem. *Sic*, ait, *omnes libri*, *neque hoc corrigendum*; prætenderent *valet* præferrent, referrent, ostenderent - *Sic Cap. XII. Seg. 9. hinc fieri*, *ut unius tantum lineamenta prætendat*. Melius tamen mihi dici posse videtur si *Tò prætenderent* heic sumatur pro *prætexerent*, seu *munirent* Virgil. enim L. 1. Georg. ỹ. 270. ait.

. . . . . . *Rivos deducere nulla*

*Relligio vetuit*, *segeti* prætendere *sepem* &c. Cicero vero in Vatin. 14. *Volo ut mihi respondeas tu*, *qui te Pythagoricum soles dicere*, *& hominis doctissimi nomen tuis immanibus*, *& barbaris moribus prætendere*. Sensus quippe Lactantii est; ita in corpore humano esse nobiliora membra compacta ex duobus, ut tamen iisdem unitatem quodammodo *servarent*, *pretexerent*, *adstruerent*, *munirent*.

 12. 

Oris quoque species, & rictus ex adverso [a] patefactus quam utilis, quam decens sit enarrari non potest.

a *Et rictus ex adverso* Al. *ex transverso* Bunem. hanc suam lectionem nostræ præponendam rectius putavit; sed male; nam quum de officiis, quibus rictus fungitur, heic loqueretur Lactantius, & præcipue de cibo sumendo, & loquela emittenda, respicere debebat ad id quod habet *ex adverso*, unde vox venit, & quo cibus mittitur, non autem ad id, quod habet *ex transverso*, cujus diductio, aut contractio parum refert ad rem, de qua agebatur.

 13. 

Cujus usus in duobus constat officiis, sumendi victus, & eloquendi. [a] Lingua intus inclusa, quæ vocem motibus suis in verba discernit [b], & est interpres animi [c], nec tamen [d] sola potest per se loquendi [e] munus implere, nisi acumen suum palato illiserit, nisi adjuta [f] vel offensione dentium, vel compressione labiorum; dentes tamen plus conferunt ad loquendum.

I 3 Nam

a *Et eloquendi* Al. *loquendi*.
b *Vocem motibus suis in verba discernit* Al. *distendit*.
c *Et est interpres animi*. Prudent. Peristeph. a v. 2963.

In-

*Interpres animi, enunciatrix sensuum.*
*Cordis ministra, præco operti pectoris.*
*Prima offeratur* &c.

d *Nec tamen* Heum. *Non tamen* Bun. lectionem communem explanat. I. E. *Et tamen non.*

e *Per se loquendi.* Al. *eloquendi* Aldus nobiscum legit.

f *Nisi adjuta* Al. *justa* Quidam *vita.*

 14. 

Nam & infantes non incipiunt fari, nisi dentes emiserint [a]: & senes amissis dentibus [b] ita balbutiunt, ut ad infantiam denuo revoluti [c] esse videantur [d].

a *Non incipiunt fari nisi dentes emiserint* Al. *non ante incipiunt fari quam dentes habuerint.* Al: *Tò ante* non habent, quamvis retineant *quam.*

b *Amissis dentibus* Al. *dimissis* Al. *divulsis.*

c *Ad infantiam denuo revoluti* Al. *ad infantiam resoluti denuo esse.*

d *Videantur* Al. *audiantur.*

 15. 

Sed hæc ad hominem solum pertinent, aut ad aves [a], in quibus acuminata, & vibrata certis motibus lingua, innumerabiles cantuum flexiones [b], & varios sonorum modos [c] exprimit [d].

Ha-

a *Sed hæc ad hominem solum pertinent, aut ad aves* Al.

Al. *ad cives* Heum: *sed hæc ad hominem non solum pertinent, sed & ad aves*. Aves autem loco dentium quibus carent, rostro utuntur. *Volucrum*, *inquit Plin Lib.* XI. *Cap. XXXVII. nulli dentes, præter vespertilioni*.

b *Cantuum flexiones* Al. *concitant flexiones*.

c *Et varios sonorum modos* Al. *sonorum varios modos*. De voce vide infra Cap. XV.

d *Exprimit* Bon. *exprimet*.

 16. 

Habet præterea & aliud officium, quod in omnibus, sed tamen solo in mutis utitur [a], quod contritos & per molitos [b] dentibus cibos colligit, & conglobatos vi sua deprimit, & transmittit ad ventrem. Itaque Varro a ligando cibo [c] putat linguæ nomen impositum.



.a *Quod in omnibus, sed tamen solo in mutis utitur*. Variant heic mirabiliter cum Mss., tum typis edita exemplaria; nam pro *quod* Al. legunt *quo*: *pro in omnibus* legunt, *in hominibus* pro *tamen solo*: *non solum*. Ego vero nihil mutandum censeo; hunc enim sensum mihi comode nostra lectio reddit. Lingua habet aliud officium præter recensita, quod quidem est in omnibus, eam habentibus; sed eo solo, & non aliis, utitur in brutis, quæ nec verba promunt, nec cantuum flexiones exprimunt, sed solummodo lingua utuntur, ut cibos ad ventrem transmittant. Aldus nostram præfert lectionem.

b *Attritos, & permolitos* Al. *commolitos* Al. *convolutos*. Aldus nostram retinet lectionem.

c *Itaque Varro a ligando cibo* &c. Isid. L. xi. Orig. Cap. 1. *refert*, inquit Isæus, *Varronem. non a ligando cibo, ut ait Lactantius, sed a lingendo cibum, linguam dictam putavisse. Alios vero a ligandis vocibus, quod per articulatos sonos verba liget.* Nicolaus Perotti Lactantii lectionem sequitur, ait enim: *lingua vel quod, sicut Varroni placet, cibum leget .... vel quod ipsa dentium septis, quasi muro vallata, ac ligata sit.*

 17. 

Bestias etiam pro potu adjuvat [a], protenta enim, cavataque [b] hauriunt aquam, eamque conprehensam linguæ sinu, ne tarditate, ac mora refluat [c], ad palatum celeri mobilitate complodunt. Hæc itaque palati concavo [d] tanquàm testudine tegitur [e]: eamque dentium septis Deus, quasi muro circumvallavit [f].

Den-

a *Bestias etiam pro potu adjuvat* Al. *Bestias etiam potu* Al. *& potu* Heum. *in potu* nos *Tò pro* interposuimus, quia in nostro Codice sic scribitur. *P.potu* Forte *pro potu sumendo:*

b *Protensa enim, cavataque* Al. *portensa* Schottus *curvataque*.

c *Ne tarditate, ac mora refluat*. In nostro Bononiensi Codice sic habetur *ne tarditate ac morefluat*, ideoque integram servavimus verbi lectionem, quæ sensui congruit, quasi dicat, ne aqua *retro fluat*, & defectum in *mora* commissam complevimus. Al. *effluat* Al. *defluat* Al. *diffluat*.

Ta-

d *Palati concavo* Al. *palato concavo*. *Concavo* ad modum ſubſtantivi heic utitur Noſter, ut infra Cap. xv. Seg. 2. *Spiritus cicutæ concavo repercuſſus*. Prudentius Periſteph. De ſuppl. S. Romani *Martyr.* a ℣. 3177.

*Manere ſalvam vocis armoniam probæ,*
*Non poſſe inani* concavo *verba exprimi,*
*Quæ concrepare lingua moderatrix facit.*

Item Sidonius Apollinaris L. viii. Epiſt. ix. *aliquos verſuum meorum verſibus poſcis; qui tibi ſolent per muſicum* palati concavum *voce variata tinnientes.. .effundi*. *Forte Lactantium exprimens*, ut ait heic Bunem.

e *Tamquam teſtudine tegitur*. Prudent. *Periſteph.* a ℣. 4024.

*Qui facit, ut vis vocis expreſſa intimo*
*Pulmone, & oris torta ſub* teſtudine.
*Nunc ex palato det repercuſſos ſonos,*
*Nunc temperetur dentium de pectine*
*Sitque his agendis lingua plectrum nobile*.

Al. *Teſtitudine*.

f *Dentium ſeptis Deus, quaſi muro circumvallavit*. Al. *dentium ordine ſcpiens* Al. *ſapiens Deus vallavit* Al. *ſepſit* Al. *tamquam muro* &c, Schottus nobiſcum legit, & recentiores plerique Cellar. Heum Bunem. Aldus noſtram ſequitur lectionem.

## 18.

Dentes autem ipſos, [a] ne nudi, ac reſtricti magis horrori, quam ornamento eſſent, gingivis mollibus, quæ a gignendis dentibus no-

a *Dentes autem ipſos* Al. ſtatim addunt *mirabili modo per ordinem fixos*, quæ verba in textum ab Aldo revocan-

nominantur [b], ac deinde labiorum tegminibus [c] honestavit. Quorum durities, sicut in molari lapide [d], major est, & asperior, quam in cæteris ossibus [e], ut ad conterendos cibos [f], pabulumque sufficerent.

---

cantur. Desunt tamen a plerisque, tam Mss. quam typis editis, si paucos excipias, quos recensent & sequuntur Thom. & Isæus, eosque secuti Gallæus, Sparkius Heum. Bunem. & Langletius.

b *Gingivis mollibus, quæ a gignendis dentibus nominantur*. Sic Isid. L. 1. Origin. Cap. 1.

c *Dentium tegminibus* Schottus *tegiminibus*.

d *Sicut in molari lapide* Bon. *sicut immolari lapidem*. Nosce hinc Librarii nostri ignorantiam, lapidem immolantem. Bene heic Betuleius ex Polluce, Aristotele, Volaterrano, Cælio, & Plinio dentium varias denominationes refert; omittit tamen tria illorum genera, quæ a Plinio L. XI. Cap. XXXVI. recensentur, tamquam universalia: Scilicet: Serrati, aut continui, aut exerti. Serrati, *pectinatim coëuntes, ne contrario occursu atterantur, ut serpentibus, piscibus, Canibus*, continui, *ut homini, & Equo*. Exerti, *ut Apro, Hippopotamo, & Elephanto*.

e *Quam in cæteris ossibus*. Puncta quædam sub prima voce habet noster Cod. Bon.

f *Ut ad conterendos cibos* Al. *aut ad conferendos* Al. *contendendos* Al. *contundendos* Al. *ad continendos*.

19.

Labra ipsa, quæ quasi antea cohærebant, quam

quam decenter interſcidit [a]? quorum ſuperius ſub ipſa medietate [b] narium, lacuna quadam levi [c], quaſi valle, ſignavit, inferius, honeſtatis gratia foras molliter explicavit.

a *Decenter interſcidit*. Hæc eſt noſtri Codicis genuina lectio, quam ex conjectura, utpote elegantiorem exhibuit Cellarius, & perperam improbavit Heum. Al. *intercidit* Al. *interceſſit* Al. *intercidat*.

b *Sub ipſa medietate*. Cic. de univ. 7. *vix audeo dicere medietates*.

c *Lacuna quadam levi* Bon. *lacunar quadam laevi*. Vide infra Seg. 21. n. 2.

 20. 

Nam quod attinet ad ſaporem capiendum, fallitur quiſquis hunc ſenſum palato ineſſe arbitratur [a]: liugua eſt enim, qua ſapores ſentiuntur [b], nec tamen tota: nam partes ejus, quæ ſunt ab utroque latere teneriores, ſaporem ſubtiliſſimis ſenſibus trahunt, & cum neque ex cibo quicquam, neque ex potione minuatur [c]. tamen inenarrabili modo penetrat ad ſenſum ſapor eadem ratione, qua nihil de quacunque materia odoris capio decerpit [d].

Cæ-

a *Fallitur quiſquis hunc ſenſum palato ineſſe arbitratur* Lactantio adſtipulatur Plato *in Timæo*, inquit Iſæus, Ariſt. II. de Anim. tex. 104. L. I. Hiſt. Anim. Cap. XI. L. II. de part, Cap. XVII., & L. IV. Cap. XI. Galen. Lib. VIII. *Cap. V.*, *&* *Lib. IX. Cap. VIII.* Plinius autem

*etiam*

*etiam Palato saporum sensum attribuit*. Vidend. est Cæl. *Rodig*. *II*. Antiq. lect. *C*. 30. *Qui & hunc locum Lactantii refert* &c. At contra Betuleius exscriptus a Langletio ejus suppresso nomine, ut solet, *Fallitur ergo, Aristoteles, Lactanti*, inquit, *fallitur Plinius, fallitur cum his tota, & quidem docta, antiquitas universa. Nam hæc vox metonimicos, sicut etiam gulæ, pro voluptate ab authoribus crebro usurpatur* &c. Ad hanc controversiam dirimendam Vide Diss. xxv. Cap. III. §. xiii.

b *Sapores sentiuntur* Aldus *sapor sentitur*

c *Et quum neque ex cibo quicquam, neque ex potione minuatur* Dignissima scitu hæc observatio est, & inter philosophiæ arcana recensenda una cum experimento, quo eam demonstravimus L. nota superiori C.

d *Eadem ratione, qua nihil de quaque materia odoris capio decerpit*. Finitimi sunt olfactus, & gustus, ac eodem fere modo L. C. explicantur a nobis. *Tò Capio* deest in quibusdam. Thom. habet *Captio*; sed male, teste enim Gellio L. vii. Cap. x. *hanc Capionem dici posse quasi hanc captionem, & in usu, & in pignore Grammatici fatentur*. Et idcirco Bunem. ait hanc esse *vocem forensem*. Pro *quaque* Al. legunt *quacumque* pro *decerpit* Al. *deserpit decrepit decepit* &c. Aldus, *quæ lectio*, ait, (*ut patet*) *corrupta minime est: non heic usus est verbo raro, sed proprio*. Capio *enim* Capionis, *nomen est quo Juris consulti sæpe usi sunt*. Gell. *L*. vii. *C*. x. *docet Varronem ita*, Pignioris Capionem, *dixisse, ut hic* Odoris. Hæc eadem verba exscripta leges apud Langletium nullo laudato hujus notæ authore. Al. *odoris captio* Al. *odoris decerpit* Al. *decrepit* Al. *deserpit* omissa voce media, Al. *decerpitur*.

21.

Cætera quam decora sint, vix exprimi po-

poteſt. Deductum clementer a genis mentum [a], & ita inferius concluſum, ut acumen ejus extremum ſignare videatur leviter impreſſa diviſio [b]: rigidum, ac teres collum [c], quo ſcapulæ, velut mollibus jugis [d], a cervice demiſſæ: valida, & ſubſtricta nervis ad fortitudinem brachia [e]: toris inſignibus [f] extantium lacertorum [g] vigens robur [h]: utilis, ac decens flexura cubitorum [i].

Quid

---

a *Deductum clementer a genis mentum*. Supra Cap. v. Seg. 5. *clementer curvatis*, id eſt *leniter*, ac *moderate*. Tacitus XIII. Ann. 38. *Colles clementer aſſurgentes*. Ubi Julianus Pichon interpretatus eſt *leniter acclives*. Iſid. L. XI. Orig. C. I. *Mentum*, ait, *dictum*, *quod inde mandibulæ oriantur, vel quod ibi jungantur*. Alii, tu Feſtus. *Quaſi non commentum*. Sypontinus a *meno*. Stephani ab *eminendo*, de quibus heic Betuleius ait. *Grammatici ab* eminendo *dictum putant, cui derivationi fidem mea ſententia derogo*. Plinius mentum nulli animantium præter hominem tribuit L. XI. Cap. XXXVII., at Virgil. III. Georg. a ℣. 51.

. . . . . . *Optima torvæ*.
*Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix*
*Et crurum tenus* a mento *palearia pendent*.

b *Leviter impreſſa diviſio* Al. *leniter*. Male, nam ſi deſit diviſio hæc, levi digiti unus impreſſione plerumque ab obſtetricibus deſignatur, ac a nutricibus completur ad decorem augendum faciei; ut etiam fit in lacuna labii ſuperioris ſub ipſa narium medietate, de qua noſter paullo ſupra Seg. 19. n. 3. tam eleganter, quam diligenter locutus eſt.

Ri-

c *Rigidum*, *ac teres collum* Al. *terens*, male, sensus enim est: collum in homine *erectum esse*, *ac rotundum*. Ovid. L. X. metam. fab: III. ℣. 10.

*Pendebant* tereti *gemmata monilia* Collo.

Noster supra Cap. VII. Seg. 9. *in formam pili teres*. Horat. L. II Serm. Sat. VII. ℣. 85.

*Totus* teres, *atque* rotundus.

Et Virgil. Æn. VIII. ℣. 634.

. . . . . . . . . . Tereti cervice *reflexam*.

Hinc Isidor. Lib. XI; Orig. Cap. I. *Collum* dictum, quod sit *rigidum*, *& rotundum*, ut columna, bajulans caput, & *sustentans*, *quasi Capitolium*, *cujus anterior pars gula*, *posterior Cervix*.

d *Velut mollibus jugis* Isid.: ubi supra *Scapula*, *inquit*, *a scandendo dicitur*, *quia mobilis*, *veluti* mollibus jugulis *a cervice demittitur*, ut addunt Stephani.

e *Valida*, *& substricta nervis ad fortitudinem brachia* Al. *substracta* Schottus *substructa*.

f *Toris insignibus* Al. *insignis toris*. Cicer. II. Tuscul. 22. ait. *O Pectora*, *o Terga*, *o Lacertorum tori*! Et Virgil. III. Georg. ℣. 79.

. . . . . . . . . *Illi ardua cervix*
*Argutumque caput*, *brevis alvus*, *obesaque terga*,
*Luxuriatque* toris *animosum pectus*:

Ubi servius *Torosum*, inquit, *& eminens pulpis* Isid. L. XI. Orig. Cap. I. Brachia, ait, a fortitudine nominata; βαρὺ enim *Græce*, *grave*, *& forte significat*. *In brachiis enim* tori *lacertorum sunt*, *& insigne Musculorum robur existit*. *Hi sunt* tori *I. E.* Musculi, *& dicti* tori, *quod illi viscera torta videantur*. Confer heic Betuleium, qui Docti, inquit, etiam *thoris* scribunt, quod tamen hactenus non vidi ab aliquo usitatum. Infra C. XIII. Seg. 4. eadem vox occurrit non pro Brachiorum, sed feminum musculis adhibita.

*Ex-*

g *Extantium lacertorum.* Mira heic sese nobis obtulit tam in Mss. quam typis editis varietas; Al. enim *extentum* Al. *extantum* Al. *extinctum* Al. *extintum* legunt. Nihil tamen immutandum puto, quum infra Seg. 25. de pollice dicat. *Duos quidem articulos extantes habet* I. E. *præ ceteris eminentes*. Sic Virgil. L: VI. æn. ℣. 666.

*. . . . . . . Medium nam plurima turba*
*Hunc habet, atque humeris* extantem *Suscipit altis.*

Ubi Servius. *Quasi Philosophum, ac si diceret Platonem. Alludit enim poeta: nam Plato ab humerorum dictus est latitudine, quam Græci πλάτος vocant. Athleta enim fuit, qui post plures victorias se philosophiæ dedit.*

h *Vigens robur* Sic etiam Aldus Al. *rigens robur* Al. *ingens robur*. Thomas: hanc lectionem primus restituit ex nostro Cod. Bunem. eam improbat, Langletius ex pluribus exemplaribus propugnat, & merito *vigere*, enim, & *vigens* esse, optime de robore, de virtutibus, ac de viribus dicitur. Unde Statius I. Silvar. L. IV. ℣. 54.

*Animus vigens.*

Et Cicer. *L. II. de finibus* 45. *mentemque datam, & acrem, & vigentem.*

i *Flexura cubitorum* Al. *fluxura* Al. *flixuram*. Noster infra XIII. 4. *flexuram in pedibus* Lucret. L. IV. ℣. 313,

*Adsimili lateris* flexura *predita nostri*.

Varro L. IX. L. L. *Flexuræ* quoque similitudo *videnda*.

 22. 

Quid dicam de manibus, rationis, ac sapientiæ ministris, [a] quas solertissimus artifex pla-

a *Rationis, ac sapientiæ ministris?* Oratorem eximium,

plano, ac modice concavo sinu fictas [b], ut si quid tenendum sit, apte possit insidere [c], in digitos terminavit: in quibus difficile est expedire, utrum ne species, an utilitas major sit.

mium, qualem uno omnium cordatorum ore intrepide dicimus, sic fere decet, Lactantium; non enim minus lingua, quam manu loqui debet orator. Hinc Cicero, Oratorum princeps, post quam de lingua egerat L.II.*de N. D.* statim. *Quam vero aptas, quamque multarum artium ministras manus*, inquit, *natura homini dedit*. Et Theodoretus Serm. III. de Provid. Ratio autem lingua, quasi dexteræ manus officio fungitur. &c.

b *Ac modice concavo sinu fictas* Bon. *concavo site* Al. *fixit*.

c *Insidere* Al. *incidere*.

 23. 

Nam & numerus perfectus, ac plenus [a], & ordo, ac gradus decentissimus, & articulorum parium curvatura flexibilis [b], & forma unguium rotunda [c], concavis tegminibus digitorum fastigia comprehendens, atque firmans, ne mollitudo carnis in tenendo cederet, magnum præbet ornatum.

Illud

a *Nam & numerus perfectus, ac plenus*. Sic omnes præter Bonon. in quo *numerus pe ...... us*. Solummodo legitur. Quinarius autem numerus, perfectus, ac plenus fortasse a Lactantio dicitur, quia geminatus in utraque

que manu denarium perficit, omnium veluti numerorum centrum. S. Augustinus Serm. *de Monomach. Goliæ, & David.* Cap. VII. *legem* ( *DIXIT.* ) *quinario numero significari propter quinque libros Moysi* Et Cap. V. præmiserat. *In ipsa lege decem præcepta sunt salutaria, quibus decem præceptis cætera serviant.* Vanæ philosophiæ Pythagoricæ - Cabbalisticæ assertores vanissimi *ex occulta philosophia* Cornelii Agrippæ, insignis olim impostoris: *Quinarium, docent, magnam vim habere in expiationibus; pellere venena, & malos Dæmonas: & tandem, nexum esse, quo omnia ligantur.* Denarius vero apud Pythagoram est numerorum maximus, & rationes *tam numerales, quam armonicas continet*. Vide Athenag. *legat. pro Christ.* VI. Plutarc. *de Placit. Phil.* L. I. Cap. III. & Isid. *infra Seg.* 24.

b *Curvatura flexibilis* Al. *flexilis* Al. *flexibus.* Cicer. L. III. *de N. D. materia omnium rerum flexibilis.*

c *Forma unguium rotunda* Bon. *rutunda* quod semper.

 24. 

Illud vero ad usum miris modis habile, quod unus a cæteris separatus, cum ipsa manu oritur, & in diversum maturius funditur [a]: qui se velut obvium cæteris [b] præbens, om-

K

a *Maturius funditur*, Aldus *manus funditur* Al. *finditur.* Nostra lectio antiquior, & receptior. *Funditur* heic valet pro *diffunditur dilatatur.* Hinc Servius ad Virgil. Æn. IV. ℣. 245.

*Fundere, ait, est supina manu libare.*

Pol-

omnem tenendi, faciendique rationem [c] vel ſolus, vel præcipue poſſidet, tanquam omnium rector [d], atque moderator: unde etiam pollicis nomen accepit [e]: quod vi & poteſtate inter cæteros [f] polleat.

Pollex enim, de quo Lactantius loquitur, a manu quidem ſicuti & alii digiti initium habet, ſed *maturius*, id eſt ante quam alij dilatentur, in diverſum a vola porrigitur.

b *Obvium cæteris* Ideo Græci Scite eum appellant *digitum contra manum* Δακτυλον Ἀντίχειρον.

c *Omnem tenendi, faciendique rationem*. Confer Cicer. L. II. de *N. D.*, & Theodoretum Serm. IV. *de Providentia*, quam ex humanis manibus elegantiſſime, ac validis rationibus demonſtrat.

d *Tanquam omnium rector* Al. *tamquam rector omnium*.

e *Pollicis nomen accepit*. Iſid., ad hoc Lactantii caput reſpiciens, plura hinc mutuatus cognoſcitur fuiſſe Lib. 1. Origin. Cap. 1. ſæpius laudato. *Digiti nuncupati*, ait, *vel quod decem ſunt, vel quia decenter juncti exiſtunt. Nam habent in ſe numerum perfectum, & ordinem decentiſſimum. Primus* Pollex *vocatur, eo quod inter cæteros virtute polleat, & poteſtate*. Vide ſupra Seg. 23.

f *Inter cæteros* Heum. *Præter cæteros*. I. E. *præ cæteris*.

 25. 

Duos quidem articulos extantes habet, non, ut alii, ternos [a]: ſed unus ad manum con-

a *Duos quidem articulos extantes habet, non ut alii ter-*

connectitur [b] pulchritudinis gratia. Si enim fuisset tribus articulis & ipse discretus, fœda, & indecora species ademisset manibus honestatem .....



*ternas:* Al. *trinos* Plinius L. xi. Cap. xliii. *Hominis digiti*, inquit, *articulos habent ternos, pollex binos, & digitos adversus universos flectitur.*

b *Sed unus ad manum connectitur* - Bon. *ad Manuss.* Al. *ad manus carnem nectitur* sic Hecquetius Med. Paris. suadente partis situ Al. *ad manus carne nectitur* Al. *carne convestitur* - Nostram lectionem Aldus, Thomas. Isæus, Gall., Spark. plurimaque Mss. exemplaria tuentur. Gaudefridus Doctor Medicus Aurelianensis, legi mallet, teste Langletio - *ad manus carnem*. Arrideret & Eustachio, Doctori item Medico Aurelianensi, qui tamen cum Mss. Peniæ legere mavult - *ad manum carne vestitur - Is præterea errare Lactantium in eo, quod duos duntaxat articulos extantes esse in pollice dicit, quum tres habeat, quorum primus, unum non est ex ossibus manus, quibus non est sensibilis motus, dum articuli primi motus est manifestissimus. Itaque Firmianus noster ( ut ex capitis V. medio colligitur ) agnovisse videtur duplicis generis articulos in pollice, duos scilicet extantes, & visibiles, alterum ad manum nexum, & musculis tectum, qui sit tertius.* Non tamen intelligunt omnes hanc Lactantii castigationem, quia si *agnovit* quod Medicus fatetur, non erravit Lactantius, & ratio ab eo allata nulla est, quum os, quod est tertium in pollice, simile prorsus sit aliis quatuor, quæ unicuique digito nectuntur in Metacarpo. Iccirco vel dicendum erat in omnibus, vel in nullo Lactantium erraffe. Sed Plinii authoritas, nota superiori laudata, & omnium Anatomicorum concors sententia

La-

Lactantium ab hac censura cumulatissime vindicant, Gassendus, Diniensis Ecclesiæ Præpositus, & Philosophus, ac Mathematicus eximius, Medicum Aurelianensem docere poterat L. II. Phys. Sect. III. cap. I. *de Partib. Animal: digitorum singulorum notum esse, Ossa esse tria (pollice excepto, cui quod tertium subiicitur, ossibus respondet, quæ in Metacarpo,) suntque ipsa quoque mutuo commissa, articulataque.*

 26. 

.... Nam pectoris latitudo [a] sublimis, & exposita oculis mirabilem præsefert [b] habitus sui dignitatem. Cujus hæc causa est, quod videtur hominem solum Deus veluti supinum formasse (nam fere nullum animal jacere integrum potest [c]) mutas autem animantes, quasi alterno latere jacentes, finxisse [d], atque ad terram compressisse [e]. Iccirco illis angustum pectus, & ab aspectu remotum, & ad terram versus abjectum [f]: homini autem [g] patens, & erectum [h], quia plenum rationis a cælo datum, humile, aut indecens [i] esse non debuit.

Pa-

a ..... *Nam pectoris Latitudo* - Puncta huic segmento præponi curavi, ut intelligas heic plura deesse. Al. Marte suo scripserunt - *Jam pectoris* &c. authore Betuleio, qui *aut* NUNC, inquit, *vel* JAM *legendum est: aut multa desunt*-deesse autem arbitror quia in nostro Codice post antiquum illud ortographiæ signum quo punctum

ctum innui docent *Rei Diplomaticæ* Scriptores, lineæ quædam apparent quibus subsequitur -*Nam pectoris.* Sic habent omnes Mss. Codices quos vidi, & quorum lectiones secuti sunt hactenus editores.

b *Mirabilem præsefert* - Al. *præfert* Al. *praferi* -

c (*Nam fere nullum aliud animal jacere integrum potest*) Al. *jacere in in tergum* Al. *Tò aliud* non habent. Servavi lectionem nostri Codicis, quæ Ciceroniana frasis est: Tullius enim *integrum* dicit, quod neutri partium se se accommodat -L.VII. ad Att. Epist.xxv. Quod me amicissime *admones*, *ut me* integrum, *quoad possim, servem*, *gratum est* Lactantio valet *resupinum* - Quæ autem heic a Bunem. indicantur ex Drakenborchio ad L. IX. Punicor. Silii Italici ỷ. 507. minime ad rem faciunt: aliud enim est *jacere in tergum* - aliud *cadere ictum irritum in tergum* - *referri in tergum habenis reversis: in tergum erigi, revolvi, redire* -

d *Quasi alterno latere jacentes finxisse* Bon. *quas*. . . *finxisse* Paullo supra dixerat *solum hominem*, *veluti supinum formasse*, quia *integrum* nullum aliud animal jacere potest, sed solumodo *alterno latere*: vide ergo quam apte hæc omnia sibi respondeant.

e *Ad terram compressisse* Al. *comprehendisse* Al. *Suxisse* Al. *compulxisse* Al. *comprehensisse* Al. *compulsisse* sæpe similis locutio de mutis animalibus apud nostrum occurrit, qui promiscue *deprimo*, *comprimo*, *curvo flecto*, & verba similia ad idem significandum usurpat.

f *Ad terram versus abjectum* Al. *subjectum* Al. *objectum* Al. *adjectum*.

g *Hominis autem* Bon. *homines*.

h *Patens*, & *erectum* Al. *rectum*.

i *Quia plenum rationis a Cælo datum*, *humile*, *aut indecens* &c. Bon. *humilem*, *aut indecens* Al. *datæ* Al. *atque indecens*.

 27. 

Papillæ quoque leviter eminentes [a], & fuscioribus, ac parvis corbibus [b] coronatæ [c] nonnihil addunt venustatis, fœminis ad alendos fœtus datæ, maribus ad solum decus [d], ne informe pectus, & quasi mutilum [e] videretur. Huic subdita [f] est planicies ventris, quam mediam fere umbilicus non indecenti nota signat, ad hoc factus, ut per eum fœtus, dum est in utero, nutriatur [g].

CA-

a *Papillæ quoque, leviter eminentes* - Bon. *laeviter* de More Al. *leniter*. Heic *Papillæ*, Quamvis proprie Mammarum capitula significent, tamen pro ipsis mammis sumi debent, de illis enim infra agit Noster: sic etiam ab aliis Latinis scriptoribus idem vocabulum usurpatur Virgil XI. Æn. ỳ. 803.

*Hasta sub exertam donec perlata* papillam
*Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem*.

Ubi vetus interpres *papillam*, ait pro *mammillam*. Plaut. In Rud. *Papillæ cujusmodi?*

b *Et fuscioribus, ac parvis corbibus* Al. *parvis orbibus* - Prave, nam de capitulis mammarum heic sermo est, quæ & subnigra sunt, & ad instar viminei vasis, minutis foraminibus undique adaperti, & *Corbis* vocabulo appellati, ab Opifice divino efformata sunt, ut inde lac pluribus meatibus in pueri os facile possit derivari sicuti ex corbe, uvis plena, mustum profluit, quum premitur. Falsum enim est, ut docet Craanen *Diss. de Hom. cap. LXI.*, infantem semper lac ex mammis sugere, sed

ſed potius dicendnm eſt,humorem illum vitalem per poros papillæ, dum infans reſpirat, præſſæ, ſponte etiam profluere;& ideo aliquando dormientes Lacte ſatiantur.

c *Coronatæ* Al. *Coornatæ*.

d *Manibus ad ſolum decus* Cic. *de finib.* L. III. 5. *Quaſi ad quendam ornatum viris mammæ, atque barba.*

e *Quaſi mutilum* Al. *mutum* Al. *mulctile* Al. *mulite* Al. *mutile* Al. *inutile* Al. *milite*.

f *Huic ſubdita* Al. *ſubjecta* Al. *ſubdita* Al. *ſubducta*.

g *Ut per eum foetus, dum eſt in utero nutriatur.* Receptiſſima hæc a pleriſque omnibus Phyſicis ſententia eſt, quæ docet, ſanguinem maternum, ſero albugineo commixtum, ab hypogaſtricis, ſeu uterinis arteriis, intra placentam, depurandum, deponi, indeque ſenſim, per venam umbilicalem fœtus, in ejus hepar exonerari. Ex epate vero per cavam arteriam ad dextrum cordis ventriculum, & ab hoc per foramen ovale in ſiniſtum tranfluere, ac per aortam ad ſingulas partes nutriendas deferri, compertum, exploratumque eſſe. Addunt recentiores fœtum in utero materno, ultimis præſertim menſibus, per os ſuum etiam nutriri. Confer Heiſter: *Anatom. Refor.* cap. XIV. *Et compend. Anatom. num.* 245. Verheyen. autem id etiam authoritate Hippocratis confirmat *ſuppl. Anatom. Tract. V. cap. XVI.* Hippocr. vero in *lib. de nat. Pueri* iis contraria docet, quæ traduntur *in lib. de Carnibus*, quem merito judicant docti eidem affictum eſſe. Plutarc. de Plac. *Philoſi* L. V. cap. XVI. antiquorum opiniones recenſet, & Galen. cap. XXXIII., qui in utero mammillas quaſdam, vitali ſucco oppletas, adeſſe tradidit; contradicente tamen Alcnaeone, qui fœtum, ſpongiæ inſtar, undique ſibi alimentum attrahere putavit. Confer. Cenſor. *de die Nat. cap. VI.* ubi antiquos utriuſque ſententiæ patronos recenſet.

# CAPUT. XI.

## 1.

SEquitur necessario, ut de internis quoque visceribus dicere incipiam: quibus non pulchritudo, quia sunt abdita, sed utilitas incredibilis attributa est, quoniam opus fuerat, ut terrenum hoc corpus succo aliquo, de cibis [a], ac potibus aleretur, sicut terra ipsa imbribus, ac pruinis [b].

a *Succo aliquo de cibis* vide ad cap. VII. Seg. 2., & heic infra.

b *Sicut terra ipsa imbribus, & pruinis*; Aptissima similitudo, de qua vide Diss. XXV. Cap. I. §. 2.

## 2.

Providentissimus artifex in medio ejus receptaculum cibis fecit, quibus concoctis, & liquefactis, vitales succos [a] membris omnibus dispertiret.

a *Vitales succos* - vide ubi supra ad Seg. 1.

## 3.

Sed cum homo constet ex corpore, atque anima [a] illud, quod supra dixi [b], recepta-cu-

a *Sed quum homo constet ex corpore, atque anima* -
Per

culum soli corpori [c] præstat alimentum, animæ vero aliam sedem dedit [d]. Fecit enim genus quoddam visceris molle [e], atque rarum, quod pulmonem vocamus [f], eumque non in uteri modum finxit [g], ne effunderetur semel spiritus, aut inflaret semel [h].

Ideo-

*Per animam heic*, inquit *Betuleius*, *non rationalem, qua homo a cæteris animalibus differt intelligo, multo minus animam spiritualem, quæ æternorum bonorum hæres est; sed tantum vitalem auram, ut poeta nominat. quam cum cæteris animantibus homo communem habet* - Quæ in primis castigatione indigent, quia *animam rationalem*, ab anima, *quæ bonorum æternorum capax est*, perperam distinguit: secundo, quia hominem ex Lactantii sententia, constare assarit ex corpore, & *aura vitali* quod falsum est, ut infra ad cap. XVII. manifeste demonstraturi sumus, & Diss. XXV. Cap. VII. §. IV. nec non alibi; Sæpe enim hanc sententiam noster repetit, & *animæ* vocabulum ad opinionem, quam refellit, vel confirmat, scite accommodat.

b *Illud quod supra dixi* scilicet Seg. 2. *receptaculum* intellige *ventriculum*, vulgo *Stomachum*, ubi alimenta ingesta concoquuntur, & in chylum sensim converti infra videbimus.

c *Soli corpori* Al. *solo corpori* de qua dicendi forma vide Voss. *Anal. L. IV. c. 6.* Loquitur autem heic Lactantius de nutrimento corporis ex potu, & cibis elaborato, de respiratione statim locuturus; Si enim animal non respiraret, vivere minime posset. Spiritus ergo id est, aeris respirati organa perquirit, eumque *animam* more Græcorum appellat, quibus ἄνεμος *aer*, & *ventus* dicitur, ut infra Seg. 5. & cap. XVII. seg. 2. docet.

Quo

Quo aere simul, & nutrimento vita constat animalium, ut eodem cap. XVII. Seg. ultimo declarat.

d *Animæ autem aliam sedem dedit*. Alia ne, an eadem hæc sedes sit, ab ea distincta, de qua infra noster agit cap. XVI. a Seg. 1. Et an secundum diversam vocabuli acceptionem, officia, ac organa diversa in corpore humano requirat; Vide Diss. proxime laudatam cap. I. & II. præsertim autem cap. VII. §. XV. Heic observare sufficiat, Lactantium non de Anima ipsa loqui, quæcumque illa sit, sed *de animæ sede*, scilicet de organo, quo ad respirandum animal utitur, & in vita servatur vide infra Seg. 5.

e *Visceris molle* Al. *viscerum* Aldus nostram præfert lectionem.

f *Quod pulmonem vocamus* Al. statim addunt *in quod spiritus reciproca vicissitudine commearet* quæ verba retinet Aldus ex Codice Longobardico Bononiensi, etsi desit in nostro antiquiori.

g *Eumque non in uteri modum finxit* Heum: *lego*, inquit, *in utris modum* non *in uteris* ut prave scribit Langletius. Id est, Pellis ut plurimum hirci, qua vinum, vel oleum deferri solet: ac metaphorice etiam pro homine ventoso, ab Horatio usurpatur II. serm. Sat. V. ℣. 98.

*Crescentem tumidis infla sermonibus utrem*.

Quam lectionem omnibus præferrem, si in aliquo Mss. reperissem; Sed omnes legunt, *in uteri modum* fortasse quia promiscue interdum *Vter Vteris*, ac *Vter Vteri* usurpari mos erat antiquis, nam Gl. Græco Lat. habet ex Cæcil. *Vmbris, nunc Vter crescit, non potest celari* ubi *Vter* pro *Vterus* ponitur, teste Nonio Marcel. immo *Vtres ab utero* inquit Isid. Origin. XX. cap. VI. deduci.

h *Ne effunderetur semel spiritus, aut inflaret semel* In plurimis *simul* pro *semel* legitur; Sed quæ sequuntur nostram lectionem firmant, eam probante Aldo.

 4. 

Ideoque plenum quidem viſcus fecit [a], ſed inflabile [b], atque aeris capax, ut paulatim ſpiritum reciperet, dum vitalis ventus [c] per illam ſpargitur raritatem, & eundem rurſus paulatim redderet, dum ſe ex illo explicat [d]. Ipſa enim viciſſitudo flandi, & ſpirandi, reſpirandique [e] tractus, vitam ſuſtentat in corpore [f].

Quo-

a *Ideoque plenum quidem viſcus fecit* ſic etiam Aldus. Iſæus, & Spark. notant in quibuſdam legi - *Ideoque ne plenum quidem*, quæ tamen particula negans ſive abſit, ſive adſit parum refert. Nam pulmo *viſcus plenum* a Galeno dicitur L. VIII. cap. II. *de uſu partium*. Et ab Ariſtotele L. III. *de partib. Anim.* C. VI. vocatur *viſcus inane*, quia ſpiritibus, ultro, citroque commeantibus aditum præbet. Subſtantia quippe ejus Spongiæ ſimilis eſt, quæ in aquam conjecta, ſi poros, ſeu cellulas habeat apertas, ſtatim mergitur, ſi autem in eas aerem admiſerit, ſupernatare videtur Al. pro *fecit* habent *effecit*.

b *Sed inflabile* In Bon. Cod. Tò *Sed* punctis quibuſdam diſtinguitur. Al. prave *ineffabile* Aldus *ut eſſet inflabile* ex Cod. Longob.

c *Vitalis ventus* En quod Græcis ἄνεμος dicitur, Latinis *Anima*; *Spiritus* &c. vide infra cap. XVII. Seg. 2.

d *Dum ſe ex illo explicat* Al. Tò *Ex* non habent.

e *ipſa enim viciſſitudo flandi & ſpirandi, reſpirandique* Bon. *viciſſitudo & ſpirandi, reſpirandique* Al. *Viciſſitudo ſpirandi* &c. Tò *flandi* ex pleriſque aliis optimis

timis restitui, est enim, veluti genus, ad utrumque.

f / *Vitam sustentat in corpore* - Ita tamen, inquit Betuleius, ut quidquid utile, ac necessarium *in pulmonibus elaboratum est, ad sinistrum cordis ventriculum deferatur; Quicquid inutile, illac qua inspiravimus efflетur.* Sed heic non de humoribus, sed de respiratione sermo est, *de qua* Seg. 3. disseruimus. Vide de hoc Theodoretum cum admiratione disserentem *serm.* III. *De Provid.* Heic tamen observa, *vitam*, & *animam* pro eadem re a Nostro usurpari.

 5. 

Quoniam ergo duo sunt in homine receptacula, unum aeris, quod alit animam [a]: alterum ciborum, quod alit corpus [b]: duas esse per collum fistulas [c] necesse est, cibalem ac spiritalem: Quarum superior [d] ab ore ad ventrem ferat, inferior a naribus ad pulmonem. Qua-

a *Quod alit animam* - *Non heic rationalem intelligas, sed vitalem illam nobis cum brutis communem*, inquit *Isæus*, sed nota verbum alo heic usurpari pro eo, quod est *detineo, moror* &c. vide infra ad cap. XVII. Seg. 3. Unde plana expositio erit, si *vita* ipsa heic pro *anima*, *quæ alitur*, juxta superius dicta, sumatur. Vita enim sine aere omnino sustentari naturaliter non potest, eoque deficiente, aut vitiato, aut immodice rarefacto, Animal mori necesse est; quod Virgilius etiam ad plantas applicat Ecl. VII. ℣. 57.

*Aret ager, vitio, moriens sitit aeris herba.*

Idem dixit Lact. infra C. XVII. Seg. 3. L. II. cap. X. Al. IX. Seg. 22. Lib. VII. cap. XII. Seg. 23. Vide Diss. XXV. C. III. §. XIX.

Quod

b *Quod alit corpus* quidam cum Heumi: ſtatim addunt, *ut flecti cervix, ac moveri facile poſſit*, quæ tamen immerito pro Lactantianis habentur, abſunt enim a melioribus, ut jam Schottus obſervaverat; Ea retinet Aldus.

c *Duas eſſe per collum fiſtulas* &c. *Cibalem, ac ſpiritalem*. Diſputant Medici: num per aſperam arteriam, quam heic *fiſtulam ſpiritalem* appellat Lactantius, aliquid ſaltem potus ad pulmones tranſire queat, quum Epiglottis, tamquam valvula incumbat foramini illius; Et quamvis partem negativam quidam tueantur, plerique tamen cum Galeno, & recentioribus Anatomicis concedunt, potus aliquam portionem placide fluentem, interdum rimulas Epiglottidis facile ſubire, tum maxime, quum inter bibendum animal reſpirat. Plato vero in Timæo opinatus eſt, cibum quidem per Œſophagum, potum autem, aeremque per aſperam arteriam ad pulmonis cellulas deferri *ut ſpiritu, potuque hauſto, cordis ardorem hujuſmodi reſpiratione, & refrigerio tepefaciat*.

d *Quarum ſuperior .... inferior* Schottus pro *ſuperior* legit *exterior* pro *inferior interior*. Quæ tamen non Lactantii, ſed Plinii lectio eſt L. XI. Cap. XXXVII. ubi de iiſdem fiſtulis loquens - *Interior earum*, ait, *appellatur arteria ad pulmonem, atque ad cor pertinens. Hanc operit in epulando, ne ſpiritu, ac voce illac meante, ſi potus, cibuſve in alienum deerraverit, tramitem torqueat. Altera exterior appellatur ſane gula, qua cibus, atque potus devoratur. Tendit hæc ad ſtomachum, is in ventrem*.

 6. 

Quarum natura, & ratio [a] diverſa eſt.

Ille

Ille enim, qui est [b] ab ore transitus, mollis effectus est, & qui semper clausus cohæreat sibi, sicut os ipsum: quoniam potus, & cibus dimota, & patefacta gula, quia corporales sunt, spatium sibi transmeandi faciunt.

a *Quarum natura, & ratio* Sic nobiscum Schottus. Alii vero. *Quarum ratio, & natura*.

b *Ille enim qui est* Al. *illi* Al. *illas*, Al. *e contra* ... *qua*.

 7. 

Spiritus contra, qui est incorporalis, [a] ac tenuis, quia spatium sibi facere non poterat, accepit viam patentem, quæ vocatur gurgulio [b]. Is constat ex ossibus flexuosis, ac mollibus, quasi ex anulis [c], in cicutæ modum, invicem compactis [d]; & cohærentibus: patetque semper hic transitus [e].

Nul-

a *Spiritus contra, qui est incorporalis*. Annotatione locus iste dignus est, ubi noster *aerem vitalem*, quem respiramus, *incorporalem* appellat, more illorum, qui *aerem*, & *spiritum*, corpori contraponebant quidem, sed duntaxat *solido, & sensibus pervio*, non autem *tenui, ac minime sensibili*; de qua re vide, quæ a nobis dicta sunt Diss. xxv. Cap. VII. §. XIV.

b *Quæ vocatur gurgulio*. Gurgulio, inquit Isidorus L. XI. Orig. C. I. *A gutture nomen trahit, cujus meatus ad os, & nares pertendit: habens viam, qua vox ad linguam transmittitur, ut possit verba collidere; unde &* garrire *dicimus*. Vide ad Ænigma XXIV. in Symposio.

*Qua-*

c *Quasi ex anulis, in cicutæ modum compactis* Bon. *Anolis* scribit cum simplici *n* & *o anolis*, quam vocem non raro mihi sic scriptam, vel saltem cum unico *n* occurrisse notavi, aptiorque visa est ad denotandum id, quod heic innuit Lactantius, nempe tubulos cannarum, & caules vacuos quarundam plantarum, ad differentiam annulorum, cum duplici *nn*, quibus digiti ornantur. Vide ad Sympos. Ænig. III.

d *In cicutæ modum compactis*. Cicuta non solum herbam venenatam significat, sed etiam in plurali usurpatur pro calamis, quibus fistulæ componuntur pastorales. Hinc Lucretius L. V. ℣. 1383.

*Et Zephiri cava per calamorum Sibila primam*
*Agrestes docuere cavas inflare* cicutas.

Et Virgilius Eccl. II. a ℣. 38.

*Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.*
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . :
*Est mihi disparibus septem compacta cicutis*
*Fistula*.

Ubi servius, *Cicuta*, inquit, *est Spatium quod est inter cannarum nodos.* Ut supra ad Cap. VIII. Seg. 14. diximus. Instar ergo illius musici instrumenti, quod Fistula dicitur, & est Arcadum nostrorum insigne, duo meatus in nostro gutture conspiciuntur; *Quorum alter exterior, tractuique inæquabili, ut* ait *Gassendus* L. II. de partib. Anim. Cap. I. Phys. Sect. III. *propter anellos* cartilagineos, *aspera arteria nominata est .... Nonnulli* Tracheam *etiam nominatam volunt. Aliique* Pulmonum Fistulam. *Alter vero sub eadem arteria, quæ qua ipsum contigit, complanatos, seu potius, quasi nullos habet anellos, est* Œsophagus. Male ergo Mss. habent, quæ legunt *in acutæ modum* sive *in eundem modum patetque semper hic transitus* Sic etiam Aldus Al. *hinc transitus* Al. *id transitus* Al. *Sic*.

 8. 

Nullam enim requiem meandi habere ſpiritus poteſt: quia is, qui ſemper commeat [a], demiſſa [b] utiliter de cerebro membri portione [c], cui uva nomen eſt [d], velut occurſu quodam refrænatur: ne ut teneritudinem domicilii cum impetu veniens attracta peſtilenti aura corrumpat, aut totam nocendi violentiam internis receptaculis perferat [e]. Ideoque etiam nares breves ſunt, & apertæ [f]: quæ icciрco ſic nominantur, quia per eas vel odor, vel ſpiritus nare non deſinit [g].

Ta-

a *Quia is qui ſemper commeat* Bon. *qui quia ſemper* Al. *is ſemper* Schottus *quiaque is ſemper*.

b *Demiſſa* Bon *dimiſſa*.

c *De cerebro membri portione* Al. *membra*. Heic ſermo eſt de ea cerebri portione, quæ extra cranium exiens, medullæ oblongatæ inſignitur nomine. Et quum ea, quæ ſequntur, eidem minime congruant, nonnulla heic deeſſe arbitrati ſumus. vide infra Cap. XVI. Seg. II., & Diſſ. XXV. Cap. VII. §. XV.

d *Cui uva nomen eſt*. Hocce eodem vocabulo eam Plinius L. XI. Cap. XXXVII. carunculam appellat, quam Alii *Columnam*, *Gurgulionem*, *Gargareonem*, *Uvolam*, *columellam* vocant. Eidem vero nihil cum cerebro commune eſt; quum potius, palato adhæreat, & a membrana, illud veſtiente, ſuam ducat originem. Icciрco, ut ſupra innui, inter verba utriuſque notæ, plura exci-diſſe videntur; Niſi mavis cum Riolano, & Veslingio eidem tribuere duo muſculorum paria, externum, unum,

unum, internum aliud, ad suspensionem, levemque motum deservientia, quæ veluti rami sint processuum papillarium, seu mammillarium, ut vocant, ex cerebri medulla globosa propagati. Vide infra Seg. 9.

e *Perferat* Al. *inferat* Ne scilicet humores a superiori parte descendentes recta in laryngem incidant; sed deglutitione retrorsum acta uvula, una cum ea versus Œsophagum deflectantur.

f *Breves sunt*, & *apertæ* Al. *breviter sunt apertæ* Al. *breviter sunt*, & *apertæ*. Schottus, & Aldus nobiscum legunt.

g *Vel odor, vel spiritus nare non desinit*. Ita Festus. & Isidorus L. xi. Orig. C. 1., qui pro *nare* habet *manare*; sed hinc restituendus, inquit Isæus; qui heic statim addit *quæ sunt hujus fistulæ quasi ostia* Alibi certe, non autem in nostro Codice reperta, & a melioribus neglecta, tamquam ab aliena manu conscripta verba, quæ tamen restiuutntur ab Aldo, & quidem ex utroque Codice.

 9. 

Tamen hæc fistula [a] spiritalis non tantum ad nares, verum ad os interpatet [b] in extremis palati regionibus, ubi se colles faucium [c], spectantes uvam [d], tollere incipiunt in tumorem.

L Cu-

a *Tamen hæc fistula*. Vide ad notam ultimam hujus.

b *Verum ad os interpatet*. Sic Aldus quoque legit. In quibusdam libris impressis ante Thomasii editionem, & in nonnullis Mss. Cod. legitur *iter patet*, Thomasius vero *interpatet*, ex nostro Codice reddidit, *quia*, inquit,

quit, *non recte tendit ad os, sed ad nares. Ad os tamen patet aliquantulum, & habet ad ipsum* aliquem meatum. Hoc quum non intelligeret *Scriptor*, *fecit* ITER PATET *quod plane nihil significat, quod ad rem facere possit. Interpatere* autem, tamquam verbum minus latinum a Walchio notatur; ea tamen voce utitur Vegetius L. III. *de re militari* Cap. XV., & Macrobius L. VII. Satur. Cap. XV. ubi de eadem re cum Lactantio loquens, & Platonis sententiam, de qua superius S. 5. mentionem fecimus, propugnare gestiens. *Inventum naturæ est*, inquit, *ad tegendas, detegendasque, certa alteratione vias cibatus & potus, ut illum stomacho transmittat, hunc pulmo suscipiat; propterea tot meatibus distinctus*, & interpatet *rimis* &c. Al. addunt *quoque*, seu *quoque ad os*.

c *Ubi colles Faucium*. Fulvins Ursinus. *Toles*, seu potius *Tolles faucium* legere mollet, Festus enim, inquit adjuvat lectionem quum scribit. TOLES *tumor in faucibus, quæ per diminutionem* TONSILLÆ *dicuntur*. Additque Ursinus. *Legendum autem supra*. Tamen hujus fistulæ spiritalis non tantum ad nares, verum ad os quoque iter patet in estremis palati regionibus, ubi Toles faucium spectantes uvam tollere incipiunt in tumorem. Erudita plane conjectura, quam ab eo forte Isæus mutuavit, novisque authoritatibus illustravit; sed eam sequi non possumus, quum nostra lectio constans sit in Mss. Cod. Erasm. edidit *Tolles faucium* Bon.Cod. pro *spectantes*, habet *expectantes* solita in hisce vocibus variatione;

d *Spectantes Uvam*. Vide supra ad Seg. 8:

 10. 

Cujus rei causa, & ratio non obscura est. Loquendi enim facultatem non habe-

re-

remus, si ut gulæ iter ad os tantum[a], ita gurgulio ad nares tantum pateret[b].

---

a *Si ut gulæ iter ad os tantum.* Al. *si sicut* Al. *si sicut, ita ut* Al. deleto *si* legunt *sicut gulæ* &c.

b *Ita gurgulio ad nares tantum pateret* Al. statim addunt. *Nec procedens ex eo spiritus efficere vocem sine linguæ ministerio posset*, quæ tamen glossema, & spuria, esse ex margine Codicum, in quo leguntur, apparet, & Aldus ex suis Codicibus in textum adduxit.

 II. 

Aperuit igitur viam voci[a] divina solertia ex illa fistula spiritali, ut posset lingua ministerio suo fungi: & vocis ipsius inoffensum tenorem, pulsibus suis in verba concidere[b]. Qui meatus, si aliquo modo interseptus[c] sit, mutum faciat[d] necesse est. Errat enim profecto[e] quisquis aliam causam putat, cur homines muti sint.



---

a *Aperuit igitur viam voci* Al. *aperuit enim. Si hæc*, (quæ scilicet a nobis repudiata sunt, inquit Thomasius) *non præcederent, non recte colligeret Lactantius; quod adjungit.* Aperuit &c. immo ideo recte colligit, quia antea de hoc consequenti mentionem fecerat, satis licet obscuram.

b *In verba concideret* Al. *concederet* prave. Noster Cap. antecedenti Seg. 13. *Lingua intus inculsa, quæ vocem motibus suis in verba discernit*, Cicer. de Orat. Cap. VI. *concisionum verborum.*

c *Aliquo modo interseptus* Bon. *interseptus* Al. *interca-*

*cæptus*. Nostram lectionem, quamvis singularem, sensus ipse verborum satis tuetur. Perotto enim interprete *interfepio* idem valet, ac *claudo*: *inter impedio*: Unde Quintilianus apud eundem. *His textis*, ait, *ne universi mellis effluat pondus*, *interfepta onera clauduntur* I. E. *circum septa*, vel *qua effluere mella poterant*, *septa*. Adde Livium L. XXXIV. Cap. XL. *nunc operibus interfepiendo* Et Cicer. pro Cornel. Balbo 43. *Ne interfeptum sit bis iter*.

d *Mutum faciat* Aldus *Mutu.f.*

e *Errat enim profecto* &c. Audaciæ, ac erroris reum heic nonnulli Lactantiam postulant. Vide tamen Diss. nostram XXV. Cap. III. §. XI. ubi quam scite locutus sit a nobis demonstratur. Heic observa aliud esse mutus fieri, sive ex cerebri concussione ex Hipp. Aph. 59. L. VII. sive ex sollenni ebrietate, ex eodam L. V. Aph. V. aliud est mutum nascit. De hoc secundo genere Lactantius loquitur, qui de primo disserere non debuit; quum Seg. sequenti utrumque describat.

 12. 

Non enim (ut vulgo creditur) vinctam gerunt linguam [a]: sed ii vocalem illum spiritum per nares, quasi mugientes profundunt [b], quod voci transitus ad os aut nullus omnino est, aut non sic patens, ut plenam vocem possit emittere. Quod

a *Vinctam gerunt linguam* Al. *vinctam habent* &c. Per metaphoram enim dicitur *mutorum linguam in eloquium solvere* ut Idem Lactantius L. IV. Cap. XV. Seg. 8. & Lib. eodem Cap. XXVI. Seg. 7.

b *Per nares*. *quasi mugientes profundunt* Al. *Tò quasi* non habent Al. *perfundunt*.

 13. 

Quod plerunque [a] natura fit, aliquando etiam casu accidit, ut morbo aliquo hic aditus obseptus vocem non transmittat ad linguam, faciatque de loquentibus mutos [b]. Quod cum acciderit, auditum quoque obstrui, necesse est [c]: ut quia vocem emittere non potest, ne auditum admittere quidem possit [d].



a *Quod plerumque*. En ubi Lactantius, id, quod de mutis supra diximus clarissime manifestat sibi ignota minime fuisse; & mirum sane quod critici hinc suam audaciam non castigaverint.

b *De loquentibus mutos*. En iterum *de* pro *ex*, ut bene observat Bunem. addens Lactantio frequens hoc esse, & aliis; Ovidio nempe, Floro, Justino, quorum loca indicavit Burmannus ed Ovid. L. 1. Amorum X. 8. pag. 373.

*Et quicquid Magno de Jove fecit Amor*.

c *Auditum quoque obstrui necesse est*. *Experientia contrarium testatur*, inquit Langletius. *Imo, qui surdi nascuntur, muti sint necesse est.* Eadem scilicet aberrat cor da, contrario tamen modo; nam heic Lactantius non de iis qui surdi nascuntur, sed de iis qui morbo tales fiunt locutus est. Vide Diss. XXV. Cap. III. §. XI.

d *Ut quia vocem emittere non potest, ne auditum admittere quidem possit*. Sic nobiscum Aldus, Thomasius, aliiqui plurimi. Isæus *Tò auditum* delevit, eumque nonnulli secuti sunt, sicuti ante ipsum fecerat Betuleius, qui heic ait. *Vice versa*, *qui natura surdi*, *iidem*, & *muti*

*muti sunt*. Al. *ne audire quidem* Al. *ut qui vocem emittere non potest*, *ne admittere* (scilicet vocem) *possit*. Hæc certe lectio elegantior visa est Bunemanno; sed *Auditum* heic neutrum est, & absolute usurpatur pro, eo, *quod auditur*. Sic apud Lucret. L. V. ℣. 1132.

*Quandoque sapiunt alieno ex ore: petuntque*
*Res ex* auditis.

Et apud Cicer. L. I. off. 33. *Nihil enim præter auditum habeo*. Quod magis exprimit, quid Lactantius sensu vere philosophico innuat, juxta ea quæ, a nobis dissertatione sæpius indicata demonstratum censemus.

 14. 

Loquendi ergo causa patefactus est hic meatus. [a] Illud quoque præstat, ut in lavacris celebrandis [b], quia nares calorem ferre non possunt, aer fervens ore ducatur: Item si forte spiramenta narium frigoris pituita præclusit [c], per os auram trahere possimus [d], ne obstructa meandi facultate, vi spiritus strangulemur [e].

Cibi

a *Loquendi ergo caussa patefactus est hic meatus*. In quo scilicet septimum nervorum par se se in duos primarios truncos mirabili quadam separatione diffundit, hinc auditus organum constituens, hinc per linguam, Laryngem, uvam, fauces, labia, aliasque universi Oris partes subtilissimis filis pervadens.

.... *Septima fertur ad aures*.
*Faucesque, & linguam, perque os dispergitur omne*

b *In lavacris celebrandis*. Intellige de Balneis cali-

calidis, quæ Lactantii temporibus maxime in usu erant. Fabricius in notis suis ad Sexti Empirici *Pyrron. Hypot.* L. 1. Cap. XIV. num 110. pag. 30. loci imaginem pulcherrimam exhibet ex *collactione monumentorum* Pauli Alexandri Maffeii, quam nos contulimus cum reliquiis Thermarum Diocletiani, quæ nuper ante Carthusianorum Ecclesiam a primis usque ædificii concamerationibus iterum plurima post sæcula Romanis oculis patuere. Vide annotationes nostras ad Sympos: Ænig. L. XXXVII. ℣. 2. Est calor in medio magnus &c.

c *Pituita præclusit* Al. *præcluserit*.

d *Auram trahere possimus* Al. *possemus* Al. *possumus*.

e *Vi Spiritus strangulemur* Sic primus ope nostri Codicis lectionem restituo, ubi pessime, prima voce neglecta, *Spiritus strangulemur* legebat Isæus Al. *strangiletur* Al. *Spiritu strangulemur*. Sensus est naturalis, & obvius: quoties enim animal respirare nequit, vis aeris recepti illud strangulare, seu suffocare omnino debet; Et ratio ea est, quia quum Diaphragma, & musculi Thoracis, in inspiratione contracti, diu in eo statu manere non possint, statim concidunt, & pulmones premunt; Pulmonibus autem pressis, aer, qui eos in inspiratione subierat, per thracheam ex ore, atque naribus egredi cogitur; At si via obstruatur ad exitus, vi caloris sensim fit rarior, ac majus occupat spatium, vasa sanguinea comprimit, vim elasticam amittit, singulis humoribus iter claudit, præcipue sanguini, ex cordis dextro ventriculo in sinistrum per foramen ovale, ac in venam arteriosam suapte natura properanti, & ex sinistro in dextrum per venam cavam redeunti; quibus invicem se prementibus, miræ animi anxietates tamdiu creantur, donec receptaculis omnibus ad summum inflatis, tandem in angusto gulæ meatu, vel in alio quocumque, ubi major est pressio, spiritus suffocatur, & motus omnis vitalis amittitur.

15.

Cibi vero [a] in alvum recepti, & cum potus humore permisti, quum jam calore percocti fuerint, eorum succus [b] inenarrabili modo per membra diffusus, irrigat universum corpus, & vegetat [c]. In-

a *Cibi vero* Bon. *Civi vero* -

b *Eorum succus* Betuleius heic - *Non alvi*, inquit, *hoc officium est*, *sed intestinorum*, *quæ exceptum ex ventriculo succum tantisper fovent*, *dum per venam meseraicam in jecur evectus*, *in sanguinem convertitur*, *indeque universa corporis membra nutriuntur* At hæc partim superflua, partim falsa sunt, ut infra Seg. 17. ex Lactantio, ipso, & ex ætatis nostræ Medicorum sapientissimo Boerhavio demonstrabimus. Heic a Nostro solummodo generatim actio illa memoratur, a Physicis *Chylosis* dicta, qua ex cibo, & potu *Chylus* conficitur, quem Lactantius *eorum succum* eleganter, sapienterque appellavit etiam superius Seg. 2. hujus Cap. Et Cap. VII. Seg. 2.

c *Et vegetat* Vox hæc, ait Walchius *non adeo pura mihi videtur*. *Opere hoc de* Opificio *Lactantius non pressius castitatem sermonis latini sectatur*, *&* *sæpe ponit*, *quæ puritati repugnant.* Sed longe Walchium erraffe, alibi docuimus quum de hocce libro loqueremur. *Vegeto* autem idem valet ac *fortifico*, *recreo*, *conservo*, *sanum tueor* quod, adeo proprium est *Chyli* de quo Lactantius loquitur, ut nullum aliud verbum reperiatur, quod possit pressius, ac purius idem significare. Cicer. L. X. Epist. XVIII. ad Att. *Tu quoniam quartana cares*, *&* *non solum morbum removisti*, *sed etiam gravedinem te vegetum nobis in Græcia siste* &c. ubi Interpretes *To Sanum* exponunt.

 16. 

Inteſtinorum quoque [a] multiplices ſpiræ, ac longitudo in ſe convoluta, & uno tantum [b] ſubſtricta vinculo, quam mirificum Dei opus eſt! Nam ubi maceratos ex ſe cibos alvus emiſerit [c], paulatim per illos internorum anfractus extruduntur, ut quicquid ipſis ineſt ſucci, quo corpus alitur, membris omnibus dividatur [d].

Et

---

a *Inteſtinorum quoque* &c. En locus, quem Betuleius perpendere debuerat uſque ad finem capitis ſi Lactantii mentem percipere volebat.

b *Et uno tamen* ſic etiam Aldus Al. *uno tantum* Al. uno *tandem* Schottus *imo tamen*.

c *Nam ubi maceratos ex ſe cibos alvus emiſerit* Alvi vocabulum, etſi ventrem ſignificet, heic pro ventriculo, ut infra cap. XV. Seg. 5. a Lactantio ſumitur, ubi abſoluta cibi digeſtione, illius *pultacea maſſa*, ut Medici loquuntur, per pylorum, in inteſtina dilabitur, ſenſimque depuratur a fæcibus, donec per lacteas Meſenterii venas ad commune receptaculum perveniat, ut inde ad dextrum cordis ventriculum deferatur.

d *Membris omnibus dividatur* Cl. Boerhavius tom. II. Inſt. Med. num. 200. §. 3. *Chylus*, inquit, *in ore præparatus, in ventriculo ſubactus, in inteſtinis elaboratus, in lacteis ſecretus, in meſenterio ad glandulas dilutus, in ductu thoracis chylifero magis dilutus, & permixtus, in vena ſanguini confuſus, in auricula, & corde dextero accuratius mixtus, ſolutus, ſubactus,* at-

*attenuatus in canalibus conicis, & cyliindricis arteriæ pulmonaris, valde pressus a postico, repressus a lateribus, figuratur in formam solidarum, & fluidarum in toto corpore partium.*

 17. 

Et tamen necubi [a] forte obhæreant [b], ac resistant [c], quod fieri poterat, propter ipsorum voluminum flexiones in se sæpe redeuntes, & fieri sine pernicie non poterat, oblevit ita intrinsecus crassiore succo [d], ut purgamenta illa ventris ad exitus suos facilius per lubricum niterentur [e].

Illa

a *Et tamen necubi*-Sic noster Codex,&Aldus,ubiAlii legunt,*ne qui*Al.*ne cui* Al.*necubis* Bun.*ne cuti* Al.*ne cubi* sed nihil mutandum *necubi* enim adverbium loci est, & idem valet ac *non ullibi*, *seu nullibi*, aut etiam *nusquam* Varro L. primo R. R. Cap. 45. - *Si erunt imbres secuti videndum* necubi *aqua consistat.*Livius L. XXXII C. II. *Admissis ipsorum impedimentis, necubi consistere coactis* &c.

b *Obhæreant* Al. *oberrent* - Al. *aberrent* Al. *Caberrent* - Al. *oberent* Al. *obereant*.

c *Resistant* Al. *resiliant* -

d *Oblevit ita intrinsecus crassiore succo, ut* Sic etiam emandavit Schottus, & Langlettus Bon. *Oblevita* Al. *oblevit ea* Al. *opplevit ea* - Etiam in Varron. L. III. de RR. Cap. VII. Seg. 7. hæc variatio lectionis occurrit, facili mutatione, ubi aliqui legunt *se obleverit visco* Al. *oppleverint* seu *obleverunt*, *oppleverunt*. Heic Lectio

ctio nostra aliis omnibus est preferenda, nam non eo succo intestina replentur, quod per verbum *oppleo* significatur; Sed mere unguntur, quod per verbum *oblinio proprie* exprimitur - Materia quippe chylosa dum per duodenum intestinum transit, bile, & succo pancreatico ita imbibitur, ut illa tamquam sapone, hoc, tamquam aqua, opportune diluta, fluidior, adeoque aptior, reddatur ad motum continuandum per lubricos intestinorum anfractus *Cic. de Clar. Orat.* 51. *Externis oblineret moribus* Horat L. III. Ep. xix. ℣. 30.

........ *Versibus oblinat atris*.

e *Per Lubricum niterentur* Al. *mitterentur* Scottus *niterentur* - sic etiam Aldus.

 18. 

Illa quoque ratio subtilissima est, quod vesica, cujus usum volucres non habent [a], quum sit ab intestinis separata, nec ullam habeat fistulam, qua ex illis urinam trahat, completur tamen [b], & humore distenditur.

Id

a *Vesica, cujus usum Volucres non habent*, Caret hac Animal quodlibet pedibus carens, aut oviparum, præter testudinem; cujus rei caussam reddit Aristot. L. III. de partib. Anim. Cap. VIII. Et Plin. L. XI. Cap. XXXVII. Frangeretur enim in matrum alvo quum repunt.

b *Nec ullam habeat fistulam, qua ex illis urinam trahat; completur tamen*. Quamvis Ureteræ, e renibus egressæ ad vesicam usque humorem serosum deferant; Ab intestinis tamen nulla vel recta, vel obliqua fistula est, per quam similis humor ad illam transmittatur; At Nihilominus ex cavo abdominis non modicam urinæ co-

copiam per poros vesicæ in eam derivari, compertum est apud Craanem *de Homine* Diss. Cap. CXXXIV. Et Borellus in suis *Centuriis*, quæ alligantur tractatui *de Inventione Telescopii* ab eodem vulgatis, observavit, animalium vesicam, poris quamplurimis, opportune hjantibus esse perviam; Singulisque singulas adesse valvulas, quarum pars intro ita spectat, ut humor suapte natura, ac pondere semel per eos ingressus, regredi, aut effluere, obstante valvula, minime possit, nisi per uretram, per quam unice patet exitus. Hanc sententiam suppressis authorum nominibus nuper impugnavit Albertus Haller *in primis Lineis Physiol* Cap. XXXII. num. DCCLVII. Ubi tamen *asserit, certum esse, exhalare ventriculum, ut aliæ membranæ solent, & minime alienum videri ab experimentis inhalare vesicam, velocemque esse transitum aquarum acidularum*.

 19. 

Id quomodo fiat, non est difficile pervidere. Intestinorum enim partes, quæ ab alvo cibum, potumque suscipiunt, patentiores [a] sunt quam ceteræ spiræ, & multo teneriores [b].

a *Patentiores* Al. *Potentiores*.
b *Multo teneriores* Al. *tenujores*

 20. 

Hæ vesicam circumplectuntur, & continent. Ad quas partes cum potus, & cibus mista pervenerint, firmum quidem [a] crassius fit, & tran-

a *Quum potus, & cibus mista pervenerint: firmum qui-*

& transmeat, humor autem omnis per illam teneritudinem percolatur: eumque vesica, cujus æque tenuis, subtilisque membrana est, absorbet [b] & colligit, ut foras, qua natura exitum patefecit, emittat.

---

*quidem* Al. *mixta* Al. *fumum* Al. *fimium* Al. *fimum*. *Firmum* valet heic *solidum*, quod ex concoctis, digestisque cibis eo crassius evadit, quo magis humor percolatur. Nobiscum legit Aldus.

b *Absorbet* Bon. *observit*.

## CAPUT XII.

 I. 

De utero quoque, & conceptione, [a] quoniam de internis loquimur, dici necesse est, ne quid preteriisse videamur [b]. Quæ quamquam in operto latent, sensum tamen [c], atque intellegentiam latere non possunt.

Vena

---

a *De utero quoque, & conceptione* - Bon. caret copula. Quæ hoc, & sequenti capite inquit *Cellarius* suppresso ejusdem nomine a Langletio exscriptus, *de hominis formatione in utero traduntur, multum plebejæ opinionis tenent, quæ satius fuisset Lactantio, & castius etiam tacuisse. Qui veriora rescire cupit, philosophos naturæ scrutatores consulat.* Quam autem immerito hæc dicta sint lectorem meum Judicem appello.

b *Videamur* Al. *videatur* -

c *Sensum tamen* Al. *sensus*.

 2. 

Vena in maribus, quæ seminium [a] continet, duplex est, paulo interior, quam illud humoris obscœni [b] receptaculum. Sicut enim renes duo sunt, itemque testes [c]: ita & venæ seminales duæ; [d] in una tamen [e] compage cohærentes: quod videmus in corporibus animalium, cum interfecta patefiunt [f].

Sed

---

a *Quæ seminium* Sic etiam Schottus, & meliores Al. *semina* Al. *semen* Al. *seminam* Al. *seminum* Al. *seminum rationem* Al. *semminium*. Vox latina est Varroni de R.R. L. II. Cap. VI. 2. & Lucretio sæpe usitata, nec non a Plauto Mil. glor. IV. II. 68. & interdum semen, interdum sobolem ipsam, & fœtum significat, ut bene observant Grammatici. An autem sumi etiam possit pro illo vermiculorum examine, quorum quinquaginta millia in minutissima seminis gutta, se numerasse testatur Levvenoeckius, & veluti innatantia, oculis microscopio armatis, se vidisse testatur Horsoecherus, prudenti discussione expenditur a nobis Diss. XXV. Cap. IV. §. VI. & seqq.

b *Humoris obscoeni* Bon. *obscaeni* Al. *obsceni* Al. *oscenei*. Vide infra Cap. XIV. seg. 3.

c *Renens duo sunt, itemque testes* Langletius *ita testes*. Vide ubi supra, & Diss. XXV. Cap. II. §. XII. seq.

d *Venæ seminales duæ*. Observa obiter, inquit Betuleius. quod rursus dualem urget *numerum, sed ex Vesalii descriptione duos in pene seminis meatus non invenio*. Nec certe erat ex Lactantio quærendus, quum manifestissime dixerit, venas illas esse *in una conpage cohærentes*

*tes*, ut apparet in tabulis anatomicis apud Craanen *de Homine* Cap. CXL. Tab XXXIV. Fig. I. II. III., & IV. in quibus papillæ hiantes extra prostratæ visuntur, quæ in urethram semen emittunt suo tempore; nam alias, quibusdam veluti valvulis, arcte clauduntur, & non nisi humoris concitati impetu, si sanæ sunt, viam semini permittunt.

e *In una tamen* Al. *in una tantum*.

f *Quum interfecta patefiunt* Heum. mallet *intersecta*.

 3. 

Sed illa dexterior masculinum continet semen, sinisterior fœmininum, [a] & omnino [b] in toto corpore pars dextra masculina est, sinistra vero fœminina.

a *Sed illa dexterior masculinum continet semen, sinisterior. fæmininum*. Censorinus *de die Natali* Cap. VI. *e dextris partibus*, inquit, *profuso semine mares gigni. & e lævis fæminas*, *Anaxagoras*, *Empedoclesque consentiunt*, quod confirmat Plutar. *de Plac. Philosoph. L.* V. *Cap.* VII. Aristot. *L.* IV. *de Gen. Anim. C.* IV. Laert. *L.* II *Seg.* 9. Gassend. *Phys. Sect.* III. *L.* IV. *Cap.* IV. Hippocr. *Aphoris. XLVIII.* & Cæl. Rhod. L. IV. *var. Lect. Cap.* XXIII.

b *Et omnino* Al. *& ideo*.

 4. 

Ipsum semen quidam putant ex medullis tan-

tantum, quidam ex omni corpore [a] ad venam genitalem confluere, ibique concrescere. Sed hoc quomodo fiat, humana mens non potest comprehendere [b].

a *Quidam putant ex medullis tantum, quidam ex omni corpore* Al. *quidam ajunt ex omni corpore* Al. *quidam putant ex medullis, quidam ex omni corpore*. Pro prima opinione Censorinus *de die nat.* Cap. V. refert Hipponem. Plutarc. VII. de Plac. Cap. III. Platonem, qui in Timæo ex spinali medulla semen decidere putavit. Pro secunda vero, si Pythagoram, qui cerebri stillam, & Alcmæonem, qui cerebri partem, id esse dixerunt, excipias, Alii fere omnes Philosophi, Zenone præeunte, poterunt recenseri, etsi opinionem illam varie explicent. Vide Aristotelem L. I. de Gen. Anim. Cap. XVIII. seq. & Prob. LVI. Gassend. loco superius laudato. Lindenbrog. ad Censor. ubi supra. Meneg. ad Diogen. Laert. L. VII. Seg. 159. Hippocr. *de Genitura* n. V. Galen. L. II. *de semine* C. III.

b *Sed hoc quomodo fiat humana mens non potest comprehendere*. Hæc verba fere in omnibus varie luxata leguntur. Sententiam vero in iis contentam approbat L. C. Gassendus Cap. V. nec aliter sentiunt Philosophi omnes, qui hocce Naturæ arcanum omnium explicatu difficillimum esse, fatentur.

 5. 

Item in fæminis uterus in duas se dividit partes, quæ in diversum diffusæ, ac reflexæ circumplicantur, sicut arietis cornua [a]. Quæ pars

a *Ac reflexæ circumplicantur, sicut arietis cornua* En

pars in dextram retorquetur, masculina est: quæ in sinistram fœminina [b].

En tibi ex Lactantio nostro indicatas *Tubas* illas *Fallopianas*, quæ immutato dumtaxat nomine, eum repertorem habuisse, immerito existimantur. *Circum plicantur* separatim lego, quamquam junctim Prudentius, & Gellius hocce verbum interdum usurpant.

b *Quæ in dexteram retorquetur masculina est, quæ in sinistram fœminina*. Anaxagoræ, & Parmenidi hanc sententiam tribuit Plutarchus *L.* v. *Cap.* VII. *de Plac. Phil.* & Gassend. *Phys. Sect. III. L.* IV. *Cap.* IV.

6.

Conceptum igitur Varro, & Aristoteles [a] sic fieri arbitrantur: Ajunt enim, non tantum maribus [b] inesse semen, verum etiam fœminis, & inde plerunque matribus similes procreari [c], sed earum semen, sanguinem esse purgatum [d], quod si recte cum virili mistum sit, utraque concreta [e], & simul coagulata informari [f]: & primum quidem cor hominis effingi [g] quod in eo sit & vita omnis, & sapientia [h]: denique totum opus quadragesimo die consummari [i]. Ex abortionibus [k] hæc fortasse collecta sunt [l].

M In

a *Varro, & Aristoteles*. Varro fortasse hoc asseruit in libro, cui titulus erat *Tubero*, seu *de Origine humana*, quem scripsisse Censorinus *Cap.* IX. *de die natal.*, & Fabric. *Bibl. Latin. L.* I. *Cap.* VII. tradiderunt. At Aristote-

ſtoteles id potius negare videtur *L.* I.*de Gen. Anim. Cap.* XIX.,& XX.cui D.Thom. præcipue III.*Part.Quæſt.*XXXI. A. V.*ad* III.ſubſcripſit. Ideoque Gaſſend. ubi ſupra *Cap.* II. ait. *Ipse Ariſtoteles* (*quicquid Lactantius de illo ſimul, ac de Varrone referat*) *cenſuit, non emitti a fæmina ſemen, ſed menſtruum ſanguinem dumtaxat* &c. Non tamen erravit Lactantius tribuendo Ariſtoteli hanc opinionem, ſed reſpexiſſe ipſum dicendum eſt ad Philoſophi verba *L.*IV. *Cap.*I. *ejuſdem Lib. de generat. Anim.* ubi quamvis ſecundum interpretes *ſeminis* vocabulum uſurpaverit pro eo, quod Græcis eſt καταχρηστικῶς: tamen revera dixit, in generatione: *Fæminas ſeminis materiam tantum præbere*, intellige *ſanguinem purgatum*, quod ad Lactantii effatum vindicandum ſatis eſt, ut infra magis patebit. Vide Lindenbr. ad Cenſor. *de die Natal. C. V.* nota 5. hunc Lactantii locum indicantem, ac cum Ariſtotelico conferentem pag. 26. Adde Menag. ad Laert. *L.* VII.*Seg.* 159. Cajet. *in comm. ad* 2. 2. *Quæſt. CLVII. Art. XII.* S. Thomæ., & Diſſ. noſtram XXV. Cap. IV. §. III.

b *Ajunt enim, non tantum maribus* &c. Al. ſecundam vocem omittunt.

c *Et inde plerumque matribus ſimiles procreari*. Infra a Seg. 8. hæc clarius ab authore noſtro explanantur, & Diſſ. XXV. Cap. IV. §. V.

d *Sed earum ſemen, ſanguinem eſſe purgatum* Bon. *ſanguine* Fulvii Urſini Codicem antiquum ſequor in hac lectione, quam Eraſmo, Cellario, Heum., Bunem., & pleriſque Mss. Cod. etiam communem eſſe novi: potiſſimum autem, quia Ariſtotelis doctrinam ſupra laudatam explicat; & Authoris noſtri aſſertum adverſus Gaſſendum, qui hæc fortaſſe minime obſervaverat, opportune tuetur.

e *Utraque concreta* Al. *concreata*.

In-

f *Informari* I.E. FORMAM SUSCIPERE non *seminis*, ut putavit Bunem. sed *embrionis*, ut docent Physici.

g *Et primum quidem cor hominis effingi* Al. *confingi* Al. copulam delent. Diss. XXV. Cap. IV. §. IV. Varias philosophorum opiniones recensebimus de eo quod primum in humano fætu effingitur membrum. Heic notasse sufficiat, quod quamvis Plutarchus L. V. *de Plac.* Cap. XVII. Aristoteli tribuat opinionem illam, qua *lumbos primum, ut navis carinam, produci*, quidam putarunt. non tamen hanc fuisse Aristotelis sententiam ejus verba ostendunt L. I. *de gener. Anim. Cap.* IV. & seq.. Item *L.* III. *de Partibus Anim. Cap.* IV. ubi diserte docet, *cor initio formari*; neque aliter de eo retulit Censorinus Cap. VI. *de die Natali*, & Gassendus loco citato Cap. III.

h *Quod in eo sit vita omnis, & sapientia* Sic Aldus rescripsit. Al. *& vita hominis* vide quæ diximus ad Cap. X. Seg. II., & infra Cap. XVI. Seg. I. & Diss. XXV. Cap. VII. §. XXI. Mss. Al. legunt, *quod in eo sit etiam vita hominis* &c. Al. in margine addunt. *Hinc* CORDATUS contra *excors*.

i *Denique totum opus quadragesimo die consummari* Bon. *quadrangesimo* Schottus *totum corpus* Arist. L. VII. *de hist. Anim.* Cap. III. Mares XL. diebus, Fæminas vero tribus mensibus in utero perfici asseruit; aliis tamen discrepantibus, ut videre est apud Plutarchum L. V. C. XXI., et Diss. superius laudata Cap. IV. Seg. pariter IV. retulimus. Vide infra C. XVII. Seg. 6.

k *Ex abortionibus* Al. *abortationibus*.

l *Collecta sunt* Bon. *sint*.

7.

In avium tamen foetibus primos oculos

fingi dubium non est [a], quod in ovis sæpe deprehenditur [b]. Unde fieri non posse arbitror, quin fictio a capite sumat exordium [c].

a *In avium tamen fœtibus primos oculos fingi, dubium non est* Al. *primum oculos effingi*. In ovis hoc sæpe deprehendisse testatur Lactantius; quia tamen hoc idem experientiæ repugnare asseruit Guill. Harveus in libello *de Gen. Animal.*, & Aristoteles L. II. *de Gener.* ubi ait *oculos omnium animalium, nullo excepto, sero admodum nasci*, experimento rem totam explorare volui non semel, sed pluries. Vide quid sim expertus Diss. XXV. loco nota superiore indicato.

b *Sæpe deprehenditur* Al. *deprehendimus*.

c *A capite sumat exordium* Alcmaeo apud Plut. *de Plac.* L. v. Cap. XVII. hanc opinionem docuit; apud Censorinum *Cap. VI. de Die Nat.* Hippon. & Anaxagoras idem putarunt. Egregia hac de re commentaria scripserunt Valisnerius, & Malpighius; huncque postremum sic belle pinxit suis carminibus propterea Sectanus Sat. XVI. a ℣. 98.

*Exarsit, sectoque genas mihi perlinit ovo,*
*Quod modo de natibus gallinæ traxerat: inde*
*Fœturam ingeniti cupidus dignoscere pulli* &c.

Hos omnes, relatis etiam aliorum sententiis, cum Lactantio nostro conciliare curavimus Diss. XXV. L. C.

 8. 

Similitudines autem [a] in corporibus filiorum sic fieri putant [b]: quum semina inter se permista

a *Similitudines autem* De iis etiam ibidem disputavimus S. v.

b *Sic fieri putant* Al. *fieri solent*.

mista coalescunt [c]: si virile superaverit, patri similem proveniri [d], sive marem, seu fœminam [e]: si muliebre prævaluerit, progeniem cujusque sexus ad imaginem respondere maternam.

c *Permista coalescunt* Bon. *permixta* Al. *coalescant*.
d *Patri similem provenire* Bon. *proveniri* Isæus *provehi* Al. *pro virili* Hæc opinio fuit ab Anaxagora propugnata, ut refert Censor. ubi supra.
e *Sive marem, seu fœminam* Heum. heic notat: Ne seu in *sive mutes*; & bene, nam Latinorum optimi utramque particulam eodem modo adhibuerunt: Vide Tursellin. Schuvarzianum. Al. *seu marem, seu fœminam*.

 9. 

Id autem prævalet e duobus, quod fuerit uberius. Alterum enim quodammodo amplectitur, ac includit [a]. Hinc plerumque fieri solet, [b] ut unius tantum lineamenta prætendat [c].

a *Ac Includit* Bon. *includet* Al. *Inludit* Al. *cludit*.
b *Hinc plerumque fieri solet* Hocce ultimum verbum plerique omittunt.
c *Lineamenta prætendat* Bon. *liniamenta* Heum. *prætendantur* Al. *prætendant*. Male, subauditur enim *progenies* supra Cap. X. Seg. 11. de hocce verbo locuti sumus.

 10. 

Si vero æqua fuerit ex pari semine [a] permi-

mistio, figuras quoque misceri: ut soboles illa [b] communis aut neutrum referre videatur, quia totum ex altero non habet, aut utrunque, quia partem de singulis mutuata est [c].

---

a *Si vero aqua fuerit ex pari semine* Bon. *seminæ* Langletius legit *ex pari semente*, putatque hanc veram esse Lactantii scripturam, quam tamen nullibi invenimus. *Tò æqua* usurpatur heic pro *æqualis*, ut apud Livium L. XXI. C. III. fin. *vivere æquo jure cum cæteris* Al. *æqua lance* &c.

b *Ut soboles illa* Bon. *suboles* de more.

c *Mutuata est* Al. *immitata est* Al. *mutata est*.

 11. 

Nam in corporibus animalium videmus aut confundi parentum colores [a], ac fieri tertium neutri generantium simile [b], aut utriusque sic exprimi, ut discoloribus membris per omne corpus discors mistura [c] varietur.

---

a *Aut confundi parentum colores* Bon. *aut confundi in parentum coloris*.

b *Neutri generantium simile* Scilicet *tertium quid* ex permixtis coloribus resultans. Bon. *similem*.

c *Discors mistura* Sic etiam Aldus emendat Al. *concors*.

 12. 

Dispares quoque naturæ hoc modo fieri putantur. Cum forte in lævam uteri partem masculinæ stirpis semen inciderit, marem qui-

dem

dem gigni, manifestum est [a]: sed quia sit in foeminina parte conceptus, aliquid in se habere foemineum; supra quam decus virile patiatur, vel formam insignem, vel nimium candorem, vel corporis lævitatem [b], vel artus delicatos, vel staturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillum, vel ex his plura.

a *Marem quidem gigni manifestum est* Al. *opinatio est* Non ex levioribus variatio ista est, & sententiam potius Authoris quam opinionem præsefert. Nos eam expendimus Diss. xxv. Cap. iv. §. v.

b *Vel corporis lævitatem* Al. *lenitatem* solita characterum permutatione. Bun. mallet *oris lævitatem*.

 13. 

Item si in partem dextram semen foeminini sexus [a] influxerit, fæminam quidam procreari: sed quoniam in masculina parte [b] concepta sit, habere in se aliquid virilitatis, ultra quam sexus ratio permittat, aut valida membra, aut immoderatam longitudinem, aut fuscum colorem, aut hispidam faciem, aut vultum indecorum, aut vocem robustam, aut animum audacem, aut ex his plura.

 Si

a *Item si in partem dextram semen fæminini sexus* Al. *si partem in dextram ... fæminini sexus*. Bon. *fæminini generis*.

b *In masculina parte* Bon. *in masculinam partem*.

 14. 

Si vero masculinum in dextram, fœmininum in sinistram pervenerit, utrosque fœtus recte provenire [a], ut & fœminis per omnia naturæ suæ decus constet, & maribus tam mente, quam corpore robur virile servetur.

a *Recte provenire* Sic legunt Aldus etiam, & Schottus Al. *prevenire* Al. *prævenire*.

 15. 

Illud vero ipsum quam mirabile institutum Dei [a], quod ad conservationem generum singulorum, duos sexus maris ac fœminæ [b] machinatus est, quibus inter se pro voluptatis illecebra [c] copulatis, subsiciva soboles [d], pareretur [e], ne genus omne [f] viventium conditio mortalitatis extingueret.

Sed

a *Quam admirabile institutum Dei* Al. addunt *est* Al. *institutum est Tò Dei* sublato Al. *constitutum* Al. *a Deo est* Al. *mirabiliter* Al. *Deo*.

b *Duos sexus maris, ac feminæ* Bon. *duo sexus mares, ac &c.*

c *Pro voluptatis illecebra* Bon. *pro voluptatibus illecebra* Al. *pro voluptate, & illecebra* Al. *per voluptatis illecebras*.

d *Subsiciva soboles pararetur* Sic etiam Aldus restituit Bon. *suboles* de more Al. *successiva* Al. *succisiva* Al. *subcina* Al. *subsicina, subvicina, substitutiva, soviciti, asucce-*

*cediva*. Tam pugnantes lectiones nostram confirmant; Librarii enim eam non intelligentes, immaniter depravarunt. *Subsecivum* Nonio Marcello authore, idem valet ac *secundum*, *sequens*, *succedens*, *succidaneum* Lucil. *Propterea hæc subsiciva si quando voles opera*. S. Cyprianus Cap. XIII. *de Zelo*, *& Livore*. *Si ad patrem lineamentis paribus soboles subseciva respondeat*. Hocce additum apud antiquos datum reperitur *Agris*, *temporibus*, *&* *operibus*. In rescripto quodam Domitiani, quod nos dabimus Diss. II. §. XVII. secundæ editionis, habetur: *omnia subsiciva sua colligerent*, *& venderent* &c. Ubi de herbis secundariis, limitaneisque frugibus, inter Firmanos, ac Falerienses, sive divisis sive dividundis, mentionem fieri, eruditi viri existimant.

e *Pararetur* Al. *pareretur* Al. *paretur* Schottus, & meliores nobiscum legunt.

f *Ne genus omne* Al. *ne omne genus*.

 16. 

Sed plus roboris maribus attributum est a, quo facilius ad patientiam jugi maritalis fœminæ cogerentur. Vir itaque nominatus est b, quod major in eo vis est, quam in fœmina, & hinc virtus nomen accepit.

a *Attributum est* Bon. *Adtributus est*.

b *Vir itaque nominatus est* &c. Cicer. L. II. Tuscul. Quæst. *Appellata est ex viro virtus* ... *A viris virtus est mutuata*.

 17. 

Item mulier ( ut Varro interpretatur ) a mol-

mollitie est dicta [a], immutata,& detracta litera velut *mollier*,cujus suscepto fœtu,quum partus [b] appropinquare jam cæpit, turgentes mammæ [c] dulcibus succis distenduntur, & ad nutrimenta nascentis fontibus lactis [d] fæcundum pectus exuberat. Nec enim decebat aliud quam ut sapiens animal a corde alimoniam duceret [e].

Id-

a *Item mulier*, (*ut Varro interpretatur*) *a mollitie est dicta* Bon. *interpetratur* ultimæ duæ voces a nonnullis absunt, easque Aldus delevit. Hæc fere eadem habent in voce *Mulier* Sypontinus, & Isidorus de Origin. L. XI. Cap. II.

b *Cujus, suscepto fætu, quum partus* &c. Al. *cui suscepto* &c. restituo ex nostro Bon. Cod. lectionem hactenus depravatam cum in Mss.,tum in vulgatis ope typorum.

c *Turgentes mammæ* Al. *turgescentes*.

d *Fontibus lactis* Bon *lactes* Al. *lacteis* ut habet etiam Aldus.

e *Sapiens animal a corde alimoniam duceret*. Ad ea, respicit, quæ superius notavimus Seg. 6. Ac sapientissime de lactis fabrica Lactantius loquitur quum in corde id confici docet: nam id non ex sanguine, vel solo, vel chylo simul fit; sed ex simplici materno chylo, non quidem crudo, sed binis minimum fermentationibus in dextero, ac sinistro cordis ventriculo placide decocto, ac mire ad mammas vehementi impulsu alendæ prolis post separationem per vias lacteas evecto, in succum vitalem evadit, ut in sua Anatome ostendit Diemerbroeck L. II.Cap. II. quem consule,si lubet. Neminem enim vidimus hac de re uberius, doctiusque disserentem.

 18. 

Idque ipſum ſolertiſſime comparatum eſt, ut candens, ac pinguis [a] humor teneritudinem novi corporis irrigaret, donec ad capiendos fortiores cibos [b], & dentibus inſtruatur, & viribus roboretur. Sed redeamus ad propoſitum, ut cætera, quæ ſuperſunt, breviter explicemus.

---

a *Candens, ac pinguis* Al. *cadens* Sic Lucretius L. I. ℣. 259.

. . . . *Et candens lacteus humor*
*Vberibus manat diſtentis.*

b *Fortiores cibos* Idem Author noſter *L, V. Divin. Inſt.par.* IV. *Seg. 6.* declarat.

## C A P U T. XIII.

 I. 

POteram nunc ipſorum [a] quoque genitalium membrorum mirificam rationem tibi exponere, niſi me pudor [b] ab ejuſmodi [c] ſermone revocaret. Itaque a nobis indumento verecundiæ, quæ ſunt pudenda, velentur. Quod

---

a *Poteram nunc ipſorum* - Al. *ego ipſorum*.

b *Niſi me pudor* Iſæus *niſi ne pudor* Quamvis Clemens Alexandrinus indecorum eſſe minime putaverit *L. II.*

*L. II. Pedag.* Cap. X. *In utilitatem audientium nominare dicata conceptioni organa, quæ ipsummet Deum fabricari non puduit* - Quia, ut bene Tertullianus ait *L. de Anim.* Cap. XXVII. Et ex eo Hjeronym. *In Comm: ad Galat:* Cap. IV. ℣. 19.

*Natura veneranda est non erubescenda* - Nihilominus Cellarius, ut Cap. superiori Seg. 1. vidimus - *Castius*, inquit, *Lactantio tacuisse fuisset* - qui tamen ne verbo quidem minus casto pudicitiam umquam læsit; Sed ubique, & heic præcipue, tam eleganti, tamque gravi expressione laudavit, extulit, probavit.

c *Ab ejusmodi* Al. *hujusmodi*.


 2. 

Quod ad hanc rem attinet, queri satis est, homines impios, ac prophanos summum nefas admittere, qui divinum, & admirabile Dei opus ad propagandam successionem inexcogitabili [a] ratione provisum, & effectum, vel ad turpissimos quæstus, vel ad obscoenæ libidinis pudenda opera convertunt, ut jam nihil aliud ex re sanctissima petant, quam inanem, & sterilem voluptatem [b].

Quid

a *Inexcogitabili* Ab *inexcogitato* vox deducta. Vide ad L. I. Cap. VIII. Seg. 2.

b *Quam inanem, & sterilem voluptatem* - Graviter, sapienterque hæc dicta sunt adversus Cainanorum hæresim, quam suscitarunt Condormientes, Dulcinistæ, Pauperes de Lugduno, Anabaptistæ; Sectanturque, si non doctrina, saltem facto, plerique Libertionorum, fæminarum non solum, sed masculorum spurcissimi corruptores.



Quid reliquæ [a] corporis partes, num carent ratione, aut pulchritudine [b]? Conglobata in nates [c] caro, quam ſedendi officio apta, & eadem firmior [d], quam in cæteris membris, ne premente corporis mole oſſibus cederet.

---

a *Quid reliquæ* Iſæ. *reliqui* Al. *reliqua* Al. *quæ* &c.
b *Aut pulchritudine* Al. *ac pulchritudine*.
c *In nates* Bon. *in natis* -
d *Et eadem firmior* Al. *eſt eadem* -



Item feminum [a] deducta, & latioribus toris [b] valida longitudo [c], quo facilius onus corporis ſuſtineret [d], quam paulatim deficientem in anguſtum genua determinant, quorum decentes nodi flexuram in pedibus [e] ad gradiendum, ſedendumque aptiſſimum uſum præbent.

Item

---

a *Item feminum* - Al. *ſeminum* Al: *Foeminum* - Al. *femininum* -

b *Latioribus toris* - ſcilicet *muſculis* vide ad Cap. X. Seg. 21.

c *Valida longitudo Tò valida* in aliquibus omiſſa eſt.

d *Onus corporis ſuſtineret* Walchius per *onus corporis* intellexit, & expoſuit *infans in utero matris*, quem Bunem. merito impugnavit in Miſceli. Lipſienſibus

Tom.

Tom. III. p. 167. An autem se purgaverit Walchius in responsione, quam ibidem alligavit pag. 366. judicent Eruditi.

c *Flexuram in pedibus .... aptissimum usum* Al. *Tò in* non habent, & *aptissimam* legunt delendo vocem, sequentem. Aldus nostram præfert lectionem.

5.

Item crura non æquali modo ducta, ne indecens habitudo deformaret pedes, sed teretibus suris clementer extantibus [a], sensimque tenuatis, & firmata sunt, & ornata [b].

a *Sed teretibus suris clementer extantibus* - Desunt hæc in aliquibus. *Sura suræ* vox est qua partem posteriorem cruris significamus, aliquando tamen pro tibia usurpatur; potissimum vero si addatur *teres* id est longa & rotunda Horat L. II. Carm. Od. IV. ℣. 21.

*Brachia, & vultum, teretesque* Suras.
*Integer laudo* &c.

b *Et firmata sunt, & ornata* Al. *Et firma sunt* Aldus, & Scottus legunt nobiscum.

6.

In plantis vero eadem quidem, sed tamen longe dispar, quam in manibus [a], ratio est.

a *Longe dispar, quam in manibus* - Sic optime Thomas., & alii, ubi noster Codex, Aldus, & alii quidam *qnam in cruribus* legunt. Quamvis Librarius errorem indicaverit punctis quibusdam voci huic suppositis in nostro Cod.

eſt. Quæ quoniam totius operis [b], quaſi fundamenta ſunt: eas mirificus artifex [c] non rotunda ſpecie, ne homo ſtare non poſſet, aut aliis ad ſtandum pedibus indigeret, ſicut quadrupedes: ſed porrectiores, longioreſque formavit, ut ſtabile corpus efficerent planicie ſua: unde illis inditum nomen eſt [d].

b *Totius operis* Al. *totius corporis*.

c *Eas mirificus Artifex* Al. *Artifex magnificus* Al. *mirificus eas artifex*.

d *Unde illis inditum nomen eſt* Al. *indictum*. Iſid. XI. Orig. Cap. I. *Plantæ* inquit *a planicie nuncupatæ* &c. Quæ hinc deſumpta eſſe videntur. Plin. L. VII. Cap. II. illud mirabile ex Eudoxo narrat, quod in meridianis Indiæ partibus quidam populi ſunt, apud quos plantæ viris ſunt fere cubitales, mulieribus vero adeo parvæ, ut *Strutopedes* dicantur.

 7. 

Digiti æque totidem quot in manibus [a], ſpeciem magis, quam uſum majorem [b] præferentes, ideoque & injuncti [c], & breves, & gradatim compoſiti. Quorum qui eſt maximus, quoniam illum ſicut in manu diſcerni a cæteris opus non erat, ita in ordinem redactus eſt [d], ut tamen ab aliis magnitudine, ac modico intervallo diſtare videatur.

Hæc

a *Quot in manibus* Bon. *Quod* immutata ſcilicet ultima litera: Hoc illi ſolenne eſt, ut duæ hujuſmodi Voces invicem commutet.

*Quam*

b *Quam usum majorem* - Hæc ultima vox a quamplurimis omittitur Al. *magisque usum* .

c *Ideoque & injuncti* Al. *juncti* Nostra lectio elegantior, nam *injungo* idem ac *simul jungere*, ea quæ sunt disparata significat. Columell. lib. VIII. Cap. III. Seg. 6. *Prædictis fenestellis scandulæ similiter inijungantur* .

d *In ordinem redactus est* Al. *raductus* .

## 8.

Hæc eorum speciosa germanitas [a], non levi adjumento nisum pedum [b] firmat: concitari enim ad cursum non possumus, nisi digitis in humum pressis, soloque nitentibus, impetum, saltumque capiamus.

a *Speciosa germanitas* - Reyherus apud Bunem, & Walchius hoc vocabulum pro digitorum conjunctione singulari metaphora usurpatum putant. At Plinius L. VI. Cap. I. de duobus Bosphoris loquens - *Unde*, inquit, *nomen ambobus, & tamquam in dissociatione germanitas concors.*

b *Nisum pedum* Al. *usum* Al. *nixum* .

## 9.

Explicasse videor omnia, quorum ratio intelligi potest. Nunc ad ea venio, quæ vel dubia, vel obscura sunt [a].

CA-

a *Quæ vel dubia, vel obscura sunt* - Verba hæc notanda erant plerisque criticis, qui Authorem nostrum perperam reprehenderunt, iisdemque verbis naturæ scrutatores, ac Philosophos omnes monemus, ut ea quæ

quæ a nobis sciri possunt ab iis, quæ nesciri necesse est optime discriminent, ne frustra ea inquirendo laborent, & pro certis teneant, quæ vix sunt probabilia. Vide Diss. XXIII. Cap. I. §. IX.

## CAPUT XIV.

 1. 

Multa esse constat [a] in corpore, quorum vim, rationemque perspicere nemo, nisi qui fecit, potest.

a *Multa esse constat* Walchius heic Lectorem monet, multa capite hoc ab Authore nostro dici, quæ vero similia non sunt; alia autem obscura, quorum ratio patet clarior. Ansam scilicet nobis præbens, ut de hominum ingeniis disseramus, quibus ea explorata videntur, quæ hactenus obscura sunt, & humanæ mentis oculis impervia,

 2. 

An aliquis enarrare se putat posse, quid utilitatis, quid effectus habeat tenuis membrana illa perlucens, qua circumretitur alvus, ac tegitur [a]?

N Quid

a *Tenuis membrana illa perlucens: qua circumretitur alvus, ac tegitur* sic Aldus quoque restituit Schottus autem *circumvestitur* rescripsit Al. *pellucens* Al. *circum-*

*cumnectitur* Al. *circumvestitur* Al. *regitur*. *Circumretio* Verbum latinum est, Lucretio usitatum L. V. ℣. 1151.

*Circumretit enim vis, atque injuria quemque*

& Cicer. Verr. VII. num. 150 *Quum te implicatum severitate judicum*, circumretitum frequentia populi Romani esse videam - Membranam autem hanc retiformem, Græco vocabulo *Peritonæum* περιτοναῖος Non autem *Peritonium*, ut Langlettius scribit, medici appellant - *Complectitur*, inquit Betuleius, *ventriculum*, *intestina*, *Omentum*, *mesenterium*, *Jecur*, *lienem*, *renes*, *utramque vesicam*, *Uterum*, *& vasa demum quæcumque inter septum transversum*, *& crura situm habent*. *Et licet Lactantium latuerit usus hujus membranæ*, *medicos tamen minime latuit*, *quorum haud pænitendos aliquot enumerat Andreas Vesalius in præclaro* de Humani corporis fabrica *opere* L. V. Cap. II. At Isb. de Diemerbrock. *L. V. Cap.* V. *Anat. Vesalius*, inquit, *& Bacchinus ex Sententia Galeni* L. IV. de Usu part. Cap. IX. *Illi ad fæcum exclusionem adscribunt etiam intestina comprimendi officium*. *Verum quum actio*, *seu expressio illa sit voluntaria*, *necessario fit a musculis volutarii motus instrumentis*, *a quibus peritonæum compressum propellit*, *atque ita solummodo per accidens exprimit*. Judicent ergo Medici, Lactantius ne, an Vesalius hac in re cautius se gesserit. Nam nec meum est, sicuti nec Betuleii munus erat, judicium in hujusmodi controversiis proferre, uni vel alteri dumtaxat testi fidem, aliis inconsultis, adhibendo. Vide Diss. prelaudatam, & etiam XXV. Cap. II. §. XIII.

 3. 

Quid renum gemina similitudo? quos, ait Varro, ita dictos, quod rivi ab his obscœni

ni humoris oriantur [a], quod est longe secus: [b] quia spinæ altrinsecus supini cohærent, & sunt ab intestinis separati [c]. Quid splen [d]? quid jecur [e]? quæ viscera quasi ex conturbato sanguine videntur esse concreta [f].



---

a *Quos, ait Varro, ita dictos, quod rivi ab his obscæni humoris oriantur* Al. *Quasi rivi* Al. *Quia rivi*, Aldus *quos rivi* cave ne quid mutes Tò *quod* idem valet ac *quia* Renes ait *Varro ex Isidoro L. XI. Orig. Cap. I. dictos, quod rivi ab his obscæni humoris nascantur, nam venæ, & medullæ tenuem liquorem desudant in renibus, qui liquor rursus a renibus calore venereo resolutus decurrit.* Schottus vero *Vrinam, seu aquam sapientes intelligent.*

b *Quod est longe secus* - si pro humore obscæno semen, juxta Isidori expositionem, intelligatur, verissima est Lactantii nostri sententia. Nulla enim specifica vasa a renibus ad testes protendi, per quæ seminalis materia eo deferri possit, hactenus sunt ab Anatomicis reperta. Si autem humor ille, ut a Schotto facile colligitur ex iis, quæ ab Authore dicta sunt Cap. XII. Seg. 2. Urinam significet, falsa dici non poterit Authoris nostri sententia, nam renum officium proprium est, separare a sanguine liquorem, mere aquosum ( serum dicunt medici ) Eumque in pelvim primum, deinde ad vesicam per ureteres dimittere. Ibidem autem ex cavo abdominis, ut Cap. XI. Seg. 18. observavimus, aliisque partibus, urina per poros ingreditur, mixtaque cum seroso humore, per communem uretræ ductum expellitur. Vide Diss. sæpæ memoratam Cap. II. §. XII. Seq.

c *Et sunt ab intestinis separati* - Supertus Cap. XI. Seg. 18. idem de vesica dixerat - *Quum sit ab intestinis sepa-*

*separata*, *nec ullam habeat fistulam*, *quæ ex illis urinam trahat* - Quare nonnulli crediderunt, ignorasse Lactantium ureterum ductus, sive earundem usum; Simulque renes cum lumbis confudisse. At potius dicendum erat eum intestina a venis, arteriis, atque ureterum canaliculis distinxisse, ut sic humorum etiam appareret discretio, quæ in hisce partibus gradatim fit ex una in aliam commeando, ut luculenter L. C. Diss. xxv. exposuimus

d *Quid Splen.* Bon. *splenis* Idem valet; sicuti etiam *Lienis*, & *Lien* in recto. Plato in Timæo, Aristoteles III. *de part. Anim. Cap. VII.* Galen. *L. IV. Cap. V. de usu part.* In splene per calorem, a corde participatum, feculentus, ac veluti limosus sanguis, magis concoqui, ac depurari, dixerunt, At Boerhavius, in quo Hippocratem redivivum Medici omnes venerantur *in prælect. Acad.* §. *CCCXVII. Vol. II.* Nihil omnino de liene afferri posse & in omnibus aliis visceribus fabricam faciliorem se invenisse, ingenue professus est. Betuleius tamen - *Latuit te*, *Lactanti*, inquit, *Splenis usus*, *& officium*. *Sed audi Magistrum Melanchthonem*, *qui te hoc bona fide docebit* - *Et ò ridiculum*, Heic potiori ratione quam quum, Cicerone posthabito, ad Melanchthonis eloquentiam qnidam juvenes invitabant, Lipsius dicere poterat *Cent. III. Epist. ad Belgas* xxvii. *O ridiculum*. Nec ad *Hippocratem quidem serio nos vocat*, *sed ad Melanchthonem suum* .... *Nec inter duces*, aut antesignanos *ad qualemcumque facultatem bona fide ponendum*. Vide Albertum Haller. *in primis lineis Physiol. Cap. xxvi*. num. DCLXVIII.

e *Quid Jecur* - Quid Lactanti! Melanchthonis discipulus Magistri vices heic gerit. *Nescis hoc membrum esse generosum? Nescis hoc inter organa nutritivæ potentiæ præcipuum esse? Nescis officinam esse sanguinis? Nescis hepar in hoc ipso cordi tradere mutuas operas? Nescis id quod*

*quod Plato dicit* ὅτι τὸ ἧπαρ πέφυκε χάριν τῆς μαντικῆς *Recte interim facis, quod agnoscis, quod juvat concoctionem in ventriculo, virtute nimirum coloris* - Integra Platonis sententia hæc est Marsilio Ficino interprete. *Atque jecoris quidem natura ob hanc caussam talis facta est & in ea sede qua diximus collocata, divinationis scilicet gratia*. Oh dignum Jecinoris officium? At serio si Malpighianis temporibus homo iste vixisset, quum Medicus ille librum *de Hepate* in lucem, omnium philosophorum plausu, emisit, forte cum Bartholino non ignorantiam solum, atque temeritatem suam esset deprecatus, sed ironicum epitaphium ab eodem Bartholino, jecinori inscriptum, majusculis, ut ajunt characteribus, exarasset. Verum quam scite Lactantius de Hepate sit locutus vide Diss. XXV. cap. II. §. XIII.

f *Quæ viscera, quasi ex conturbato sanguine videntur esse concreta* - Al. *Ex coagulato* Bon. *congregata* - Approbat hæc Betuleius, & quidem merito. Malpighius enim, qui diligentissime hanc corporis humani partem inspexit, eam, quasi visceris nomine haud dignam, potius *glandulam conglomeratam* appellavit.

 4. 

Quid fellis amarissimus liquor [a]? quid globus cordis [b], nisi forte [c] illis credendum putabimus, qui affectum iracundiæ in felle constitutum putant [d], pavoris in corde [e] in splene lætitiæ [f].



a *Quid fellis amarissimus liquor?* Fellis, seu bilis liquor, vix Medicis bene hactenus cognitus unus ne, an ali-

duplex sit ? Mira, ac multa de eo scripserunt Arabes Haly Abbas, & Avicenna, quorum opiniones heic refert suppresso eorum nomine Betuleius, suo Philippo Melanchthone,& Vaselio contentus. Plura addiderunt, sibi succensentes Medici recentiores, tandem nihil aliud concludere visi sunt, quam usum ejus alium non esse, nisi mirabili vi sua saponacea ad chyli ultimam dissolutionem deservire, si rite officium suum peragat. Sin minus tragædias movere maximas, & sensus organa grandi quatere tumultu. Vide Gasparem Payvam, mihi familiarissimum, in sua Dissertatione, nuper edita *De morbo atrabiliario Mirachyali extra cerebrum originem trahente*.

b *Quid globus cordis ?* Al. mox addunt *qui unus sanguinis fons est.* Aldus *quod vivus fons est* - Jure optimo a nostrisCodicibus exulare jussa hæc postrema verba,utpote iis contraria,quæ ab Authore nostro dicta sunt cap. X. Seg.2. ubi de membrorum principe ait, *Licet sit unum, duos tamen intrinsecus sinus habet,quibus fontes vivi sanguinis continentur* - Confer quæ a nobis sunt ibidem annotata. Phrasis autem, quam heic Lactantius adhibet, Lucretiana est ex *L. IV.* ỿ. 118.

*Quid cordis, globus? Aut oculi? Quid membra? Quid artus?* &c.

Et quidem ingeniose repertam. Nam Cor in *Diastole*, quum scilicet Mucro ejus ad basim accedit, globi ad instar figuratur; contrahitur quippe, & brevior simul, ac rotundum fit. In systole vero distenditur, & inversi coni, seu pyramidis figuram imitatur. Schottus vero heic ait *Cor in gaudio dilatatur, in tristitia angustatur*.

c *Nisi forte* - sic omnes, quot quot vidi, Codices habent, & libri. Cellarius legit solus *Nec forte* quæ dictio minime cum superioribus cohæret.

d *Qui affectum iracundiæ in felle constitutum putant*.

Idem

Idem ex Medicis dicit *L. VI, Inst. Cap XV. Seg.* 4. IRÆ IN FELLE. Inter tragedias a bile male affecta motas, mentis furorem, impatientiam, atque dolorem, Medicorum præclarissimi apud laudatum Payvam recensent; unde Virgilius VIII. *Æn.* ℣. 219.

*Hic vere Alcidæ furiis exarserat atro*
*Felle dolor....*

Ubi Servius notat. *Quo irascimur secundum Physicos.* Quomodo autem hæc intelligenda sint, vide Diss. XXVII. Cap. II. §. 11.

e *Pavoris in corde.* Idem Lact. ubi supra *timoris in corde* Hinc Poeta antiquus apud Ciceronem ait.

*At Romanus homo tamen etsi res bene gesta est:*
*Corde suo trepidat*

III. *de Orat.* Horat. I. *Carm. od.* XXIII ℣. 8. Timentem Chloem sic pingit.

*Et corde, & genibus tremit.*

Ac Ovidius III. *Fast.* ℣. 330.

*Terreor admonitu. corque timore micat.*

Horum effectuum caussam assignavimus Diss. prælaudata ubi supra.

f *In splene letitiæ* Lact. L. C. *lætitiæ affectus in splene est* Servius ad Virgil. L. proxime citato *splene ridemus unde* Persius *Sat.* I. ℣. 12.

*Sed sum petulante splene cachinno*
Id est, natura proclivis id risum.

5.

Ipsius autem jecoris officium volunt esse, ut cibos in alvo concoquat [a] amplexu, & cale-



a *In alvo concoquat* Al. *coquat.* Intellige Ventriculum,

lefactu suo. Quidam libidines rerum venerearum in jecore [b] contineri arbitrantur.

lum, ut supra Cap. XI. Seg. 16. Hanc opinionem non improbavit Lactantius. Vide quare Diss. XXV. Cap. II. §. XIII.

b *Libidines rerum venerearum in jecore* Al. *in jecinore* Al. *in jecure* Lact. L. C. *libidinis in jecore* Hæc omnia, nisi quod in corde sapientiam, non autem timorem collocat, vulgatum illud disticon exprimit, quod mutilum ad oram sui Codicis exscripsit Schottus.

*Cor sapit & pulmo loquitur, fel commovet iras,*
*Splen ridere facit, cogit amare jecur.*

Hæc a nobis explicata sunt Diss. XXVII. Cap. II. §. II.

 6. 

Primum ista perspicere acumen humani sensus non potest [a], quia horum officia in operto latent, nec usus suos patefacta demonstrant. Nam si ita esset, fortasse placidiora quæque [b] animalia vel nihil fellis omnino, vel minus haberent, quam feræ [c], & timidiora plus cordis [d], salaciora plus jecoris [e], lasciviora plus splenis [f] habuissent. Si-

a *Acumen humani sensus non potest* Vide Diss. XXIII. Cap. I. §. IX.

b *Placidiora quæque* Krebsius *de Stylo Lact.* & Walch. qui L. VI. Cap. XV. Seg. 3. *Placiditatem* pro *lenitate* tanquam vocem Latinis inusitatam, notarunt, de hoc comparativo nihil mali suspicati sunt; displicuit ta-

tamen Laurentio Valla comparativum hocce junctum fuisse pronomini *quæque* Ideoque *maluissem*, inquit, *ego dicere placidiora omnia animalia* &c. sed si bene construxisset, res sarta erat. Vide Vossium de Constr. Cap. XVI. Ut bene heic video etiam Bunemannum annotasse vide supra Cap. IV. Seg. 19.

c *Vel nihil fellis omnino, vel minus haberent quam eræ* Et tamen inter animalia, quæ felle carent, Plinius Apros, Equos, & Mulos recenset, non quidem pecoribus placidiora, quibus in Naxo prægrande, geminumque inesse, idem testatur Author L. XI. Cap. XXXVII. Et Aristoteles *L.* I. *Cap.*XVII.*Hist.Anim.*, & Lib. *de Partib.* IV. *Cap.* II.

d *Et timidiora plus cordis* Ita Plin. censuit ubi supra *Bruta*, inquiens, *existimantur animalium, quibus (cor) durum riget*; *audacia*, *quibus parvum est*, *pavida quibus prægrande*. Hoc tamen falsum esse, cum a priori, tum a posteriori se demonstrasse putavit Craanen *Diss. de homine* Cap. XVI. A priori quidem, quod nulla detur connexio cordis magnitudinem inter, & timorem, seu contra. A posteriori autem, quod Cardinalis Julius Mazarinus, vir fortitudinis, ac audaciæ singularis, cor insolitæ magnitudinis habuisse dicatur ab iis, qui illud propriis oculis inspexerunt. Bruschius quoque *Ephem. Med. Phys. Tom. II. Obs. VI. Corda* Leonum pro ratione corporis majora esse quam aliorum animalium ostendit.

e *Salaciora plus jecoris* quod tamen in Gallis Gallinaceis, & passeribus cum aliis volucribus proportione corporis, comparatione facta, minime verum esse, deprehensum est.

f *Lasciviora plus splenis Tò Lasciviora* heic usurpatur ad ea denotanda animalia, quæ ad omne ludicrum prona, ac ad oblectamenta procliviora. Unde Ovidius XIII. Metamorph. Fab. VII. ℣. 73.

*Te-*

. . . . . . *Tenero lascitior hoedo*
Quem tamen lienosum esse, falsum est. Sed ex eo fortasse opinio ista suborta, quod nonnulli observarunt, homines in liene vulneratos, ore, ridentium ad instar, diducto, occubuisse.

 7. 

Sicuti igitur nos sentimus, audire auribus, oculis cernere, naribus odorari [a]: ita profecto sentiremus, nos felle irasci, jecore cupere, splene gaudere.

a *Naribus odorari* Al. *odorare* Cap. vi. Seg. 12. ubi noster Codex forma activa legebat *odoraret* restituimus *odoraretur* ex aliis Mss. optimæ notæ; eandemque lectionem ex hac, quam præ oculis habemus, confirmo; quicquid in contrarium dicat Bunemannus.

 8. 

Cum autem, unde affectus isti veniant, minime sentiamus: fieri potest, ut aliunde veniant [a], & aliud viscera illa, quod nos minime suspicamur [b], efficiant. Nec tamen convincere possumus falsa illos, qui hæc disputant, dicere [c]: sed omnia, quæ ad motus animi, animæque pertineant, tam obscuræ, altæque rationis esse arbitror, ut supra hominem sit aliquid opertum pervidere [d].

Id

a *Fieri potest, ut aliunde veniat*. Et quidem ab humo-

moribus hujusmodi affectus excitari, docuit laudatus Payva ubi supra pag. IX. Confer. quæ a nobis dicuntur Diss. XXVIII. Cap. II. a §. 1.


b *Quod nos minime suspicamur* Al. *quam nos*.

c *Falsa illos, qui hæc disputant, dicere*. In rebus dubiis, aut probabilibus hanc cautelam adhibere, prudentis est, ac bene instituti, cordatique viri.

d *Ut supra hominem sit aliquid opertum pervidere* Al. *ea liquido pervidere*.

9.

Id tamen certum, & indubitatum esse debet, tot res, tot viscerum genera,[a] unum, & idem habere officium, ut animam contineant in corpore. Sed quid proprie muneris [b] singulis sit injunctum, quis scire, nisi artifex, potest, cui soli opus suum notum est?



CA-

a *Tot res, tot viscerum genera* Al. *res tot*, Al. *res tot, tanta* &c. Aldus legit *tot viscera*.

b *Muneris* Al. *numeris* Al. *nervis* Al. *verius* Al. munus. Schottus pro *proprie* legit *proprii*.

## CAPUT XV.

 I. 

DE voce autem [a] quam rationem reddere possumus? Grammatici quidem [b], ac Philosophi [c] vocem esse definiunt [d], aërem spiritu verberatum [e]: unde verba sunt nuncupata [f]. Quod perspicue falsum est [g].

Non

---

a *De voce autem* De ea Cap. XI. superiori quædam dicta sunt; plura vero disputavimus Diss. XXV. Cap. III. §. X. De ea sic Schottus *Galenus inter omnes vocis naturam explicat diligentissime*.

b *Grammatici quidem*: scilicet Diomedes, Priscianus, Pollux, Cassiodorus, & Hisidor. L. I. *Origin.* & *L. III. Cap. XIX.*, ubi ait. *Vox est aer verberatus, unde & verba sunt nuncupata*.

c *Ac Philosophi* Zeno apud Laertium *L.* VII. *Seg.* 55. Anaxagoras apud Plutarchum *de Plac. L.* IV. *Cap.* XIX. Seneca *L.* II. *Natural.* Quæst.

d *Esse definiunt* Heum: & Langlettus primam vocem delere mallent.

e *Aerem spiritu verberatum*. Sonus quicumque sic definiri poterit.

f *Unde verba sunt nuncupata* Betuleius heic *subscribunt*, inquit, *tibi Lactanti, Priscianus, & Diomedes, inter Latinos Coryphæi: sed Quintilianus exibilat*. At Quintiliani ratio nulla est, quum ex eo procedat, quod ille hominis originem veram ignorabat: putans idem cum omnibus animantibus illi initium fuisse commune, ju-

juxta ethnicorum opiniones, inter quos, ut Theodoret: ait *Serm. V. Therapeut. Alii æternam hominum naturam dixerunt, terramque hoc genere plenam semper fuisse: Alii vero in terra primum Attica natos homines: Alii in Arcadia primum extitisse. Rursus Alii in Ægypto alii in Scythia*; cui adde Censorin. *de Die Nat.* C. IV. Lucretium, aliosque, de quibus vide dicta a nobis ad L. II. *Divin. Inst.* Cap. XI. a X. Seg. 3. Item Quintilianus etiam etymologiam ibidem improbavit, quam Betuleius Varroni perperam tribuit; dixit enim. *Verbum ex verbo ductum, id est*, veri loquium; *ipse Cicero, qui finxit, reformidat. L. I. Cap. X. Instit. Orator.*

g *Quod perspicue falsum est*. Quid poterat dici clarius a Lactantio, ut ostenderet, relatam vocis etymologiam, seu definitionem, a se minime probari?

 2. 

Non enim vox extra os gignitur, sed intra [a], & ideo verisimilior est illa sententia [b], stipatum spiritum, quum obstantia faucium fuerit illisus [c], sonum vocis exprimere, veluti quum in patentem cicutam [d], labroque subjectam, dimittimus spiritum [e], & is cicutæ concavo [f] repercussus, ac revolutus a fundo, dum ad descendentem occursu suo redit [g], ad exitum tendens [h] sonum gignit, & in vocalem spiritum resiliens per se ventus animatur [i].

Quod

a *Non enim vox extra os gignitur, sed intra*. Iterum heic Betuleius. *Hæc ratio*, inquit, *definitioni confundendæ*

*dæ non sufficit; nam hæc verberatio non extra os, sed intra fauces fit. Neque enim illa verberatio in auribus audientis, sed in gutture loquentis fit.* At quis non videt, hoc nihil aliud esse quam aerem pueriliter verberare? Quum vel idem ipsum reprehendatur, quod videtur alias approbari, vel vitalem spiritum Stoicorum cum aëre externo confundi. Vide Diss. XXV. Cap. III. §. X.

b *Et ideo verisimilior est illa sententia* &c. Ciceronis verba *ex* II. *de Nat. Deor.* hanc nobis describunt, quum ait. *Primum a Pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet, per quam vox principium a mente ducens, percipitur, & funditur. Deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. Ea vocem, immoderate profusam, fingit, & terminat: qua sonos vocis distinctos, & pressos efficit, quum & ad dentes, & alias partes pellit oris.* Vide *L. C. in Diss. XXV.*

c *Quum obstantia faucium fuerit illisus* Bon. prave *quum in obstantia* Al. *fuerit illius* Al. *illisum*.

d *In patentem cicutam*. Vide supra ad Cap. VIII. Seg. 14.

e *Dimittimus spiritum* Al. *demittimus* Al. *mittimus*,

f *Cicutæ concavo* Al. *acutæ concavo* vide ad Cap. X. Seg. 17.

g *Dum ad descendentem occursu suo redit* Bon. præpositionem non habet Al. *reddit* Al. *reddidit*.

h *Ad exitum tendens* Al. ad *exitum nitens*:

i *Ventus animatur* I. E. *formatur* ventus, seu potius aer in vocem. Ovid IV. Metam. ℣. 619.

*Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ*
*Quos humus exceptas varios animavit in angues.*

Et Cicero II. de N. D. 89. *Perinde utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari, atque formari.*

 3. 

Quod quidem an verum sit, Deus artifex

fex viderit [a]. Videtur enim non ab ore, sed ab intimo pectore vox oriri [b].

a *Deus artifex viderit* Prima vox ab aliquibus omittitur.

b *Sed ab intimo pectore vox oriri*. Sic etiam Aldus *Tò* vox in nullis deest. Post Homerum Virgil. p. Æn. ℣. 489.

*Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo*
& XI. ℣. 685.
...... *Et super hæc inimico pectore fatur*.
Vide libellum nuper in Gallia editum sub titulo *Aglosso stomographia* h. e. *sine lingua oris locutio*, cui occasionem dedit puer quidam, qui sine lingua loqui dicebatur.

4.

Denique & ore clauso, & naribus [a] emittitur sonus qualis potest. Præterea & maximo [b] spiritu, quo anhelamus, vox non efficitur: & levi [c], & non coartato [d] spiritu, quoties volumus, efficitur. Non est igitur comprehensum, quomodo [e] fiat, aut quid sit omnino [f].

Nec

a *Et naribus*. Sic optime cum Nostro, aliisque Mss. optimæ notæ Codicibus legendum est, Aldo etiam, & Schotto probantibus; nam heic sermo est, de voce, & sono, ex imo pectore procedentibus, intacto, sive per nares sive per os, externo aere: Ideoque male legunt, qui copulam in præpositionem mutant.

b *Et maximo* Al. *maximo* Al. *ex maximo*.

c *Et levi* Bon. *lævi* Al. *ex levi*.

Et

d *Et non coarctato* Bon. *coartato*, Al. *coarcto*.

e *Non est igitur comprehensum quonam modo* Al. *quo modo* Betuleium, qui regerit totum hoc esse optime ab Aristotele, & Galeno comprehensum, refellemus L. c. in Diss. XXV.

f *Aut quid sit omnino*. *Tò omnino* non in omnibus legitur.

 5. 

Nec me nunc in Academiæ sententiam delabi putes [a], quia non omnia sunt [b] incomprehensibilia. Etenim fatendum est [c], multa nesciri, quæ voluit Deus intelligentiam hominis excedere [d]: sic tamen [e] multa esse, quæ possint & sensibus percipi, & ratione comprehendi.

Sed

a *Nec me in Academiæ sententiam delabi putes*. Academici tamquam axioma habebant, *nihil posse comprehendi* Vide Diss. XL. cap. XIII. a §. I. seq.

b *Non omnia sunt* Heum: mavult rescribendum *sint*. *Non enim*, inquit, *suam profert Noster sententiam*, *sed Academicorum* quod Bunem: merito improbat.

c *Etenim fatendum est* Aldus quoque sic legit Al. *ut enim*. Aureo notanda charactere hæc sententia est, iisque mature inculcanda, qui philosophicis studiis dant operam; ne falso sibi persuadere sinant a Pansophis, omnia Naturæ arcana se iisdem esse patefacturos. Maxima sapientia est, propriam ignorantiam fateri.

d *Quæ voluit Deus intelligentiam hominis excedere*. Vide Diss. XXIII. Cap. I. §. IX.

e *Sic tamen* Al. *Scit tamen*.

6.

Sed erit nobis contra philosophos integra disputatio. Conficiamus igitur spatium, quo nunc decurrimus [a].

a *Spatium, quo nunc decurrimus* Al. *quod nunc decurrimus*. Hanc lectionem probant Heum:, Bunem.; & Langletius ex Cod. vetustissimo Puteano, Francio annuente. Nos vetustioris nostri Bon. Cod. retinemus, quæ propria, & elegantissima est: *decurrere* enim est ad finem cursus properare relicto spatio, a quo disceditur. Hinc. Virgil. V. Æn. 610.

*Nulli visa, cito decurrit tramite virgo.*

## CAPUT. XVI.

I.

Mentis quoque rationem [a] incomprehensibilem esse [b], quis nesciat, nisi qui omnino illam non habet? quum ipsa mens quo loco sit [c], aut cujusmodi [d], nescitur. Varia enim a philosophis de natura ejus, ac loco disputata sunt.

O. At

a *Mentis quoque rationem* &c. Mentis vocabulo plurima inter se satis diversa significantur, ut Diss. XXV. Cap. VII. §. XIII. disputavimus. Heic vero ab Authore nostro sumitur pro Phantasia, quatenus omnis intellectio in statu unionis animæ rationalis cum corpore mor-

mortali, ita ab operatione illius dependet, ut intellectus nihil naturaliter queat ſine phantaſmatibus intelligere; Vide Diſſ. xxv. cap. ix. §. 1. Et Cap. vii. §. xiii. Infra Seg. ii.

b *Incomprehenſibilem eſſe* - Quemadmodum intellectus, dependens a phantaſmatibus, ſe minime valet comprehendere, ſic phantaſia, quamvis ab intellectu illuſtrata, mentis naturam nequit undique, intimeque cognoſcere, ac proinde in ſtatu viæ anima rationalis claram ſui perceptionem, ac plenam notitiam naturaliter habere ſuis viribus non poteſt. Iccirco longe errant, qui nihil pro vero amplecti volunt, niſi claram, diſtinctamque de eo ideam prius concipiant. Sunt enim plurima, quæ humanam capacitatem excedunt, vel quia ſenſibus non ſunt obvia, vel quia Opifex divinus ſibi illorum notitiam reſervarit. Vide ubi ſupra cap. ix. §. ix.

c *Aut quo loco ſit* - Qui mentis eſſentiam cum anima confundunt, de ſede utriuſque indiſcriminatim diſputant, nec tamen adhuc de loco, in quo ſita ſit, conveniunt. Varia hac de re Philoſophorum placita a nobis expenduntur Diſſ xxi. cap. vii. §. xiv. Interea notandum, quod de Sede animæ rationalis loquendo, intelligi ſemper debet de organis corporeis, quibus illa utitur dum in corpore miniſterio illorum aliquid percipit, ne ſubſtantiam ſpiritualem cum materiali confundas.

d *Aut cujuſmodi* - Mentem in nobis eſſe, quicumque eam ſanam habet, optime, clariſſimeque diſcernit; quæ autem ejus natura ſit, nullum puto purum hominem hactenus cognoviſſe, aut unquam in hac vita cognoſcere poſſe.

 2. 

At ego [a] non diſſimulabo, quid ipſe ſentiam:

a *At ego* Schottus *atque eſt*.

tiam: non quia sic esse affirmem ( quod est insipientis in re dubia facere,[b] ) sed ut exposita rei difficultate intelligas, quanta sit divinorum operum magnitudo.

b (*Quod est insipientis in re dubia facere*) Aut mendax, aut temerarius, aut profecto insipiens est, qui noscens ancipitem esse pro utraque parte rationem, non utramqne, tamquam verisimilem, seu probabilem judicat, sed uni potius, quam alteri certitudinem accomodat; quum non vi argumentorum, non fidei firmitate, sed suscepti dumtaxat oneris sustinendi caussa, incertum sumat pro explorato propugnandum.

 3. 

Quidam sedem mentis in pectore esse voluerunt[a]. Quod si ita est, quo tandem miraculo[b] dignum est, rem in obscuro, ac tenebroso habitaculo sitam, in tanta rationis, atque intelligentiæ luce versari? tum quod[c] ad eam sensus ex omni corporis parte conveniunt, ut in qualibet regione membrorum præsens esse videatur?



*a Quidam sedem mentis in pectore esse voluerunt.* Quamquam plurimæ, & variæ sunt de animæ, seu potius mentis, sede Philosophorum opiniones, ad tres tamen dumtaxat eas heic revocat Lactantius, quarum primam nunc expendit, eorum scilicet, qui illam in pectore, seu in corde, vel potius in Thoracis, ac Diaphragmatis regione collocabant.

b *Quo tandem miraculo* Al. *quanto tandem* &c. Aldus legit nobiscum.

c *Tum quod* - Sic lego cum plerisque, & melioribus exemplaribus, quamquam minime credo, hanc esse veram hujus loci lectionem; siquidem paullo infra Seg. 5. sensuum vias non ad pectus, sed ad cerebrum dirigi, & in capite eorum ministra membra collocata esse, Author noster declarat. Cod. Bon. habet *Tunc V....*; Aldus *Tum cum ad* Al. *Tum. ad eam* Al. *Tum quod eam* - Heum: supplet more suo - *Tum quanto miraculo dignum est quod ad eam* - Ego vero legerem *Tunc vero quomodo ad eam sensus*, addito infine puncto interrogationis, aut post *corporis parte*, negationem apponerem. Schottus *Tum ad eam*.

 4. 

Alii sedem ejus in cerebro esse dixerunt, [a]: & sane argumentis probabilibus usi sunt. Oportuisse scilicet, quod [b] totius corporis regimen haberet, potius in summo, tanquam in arce corporis habitare [c]: nec quicquam esse sublimius [d], quam id, quod universum ratione moderetur, sicut ipse mundi Dominus, & rector in summo est [e].

De-

a *Alii sedem ejus in cerebro esse dixerunt* En secunda opinio, pro qua subintelligendæ sunt etiam aliæ capitis humani partes propter ea, quæ suo loco visuri sumus.

b *Oportuisse scilicet* quod Al. ultimam vocem omittunt, & pro *haberet* legunt *habere*.

c *Tamquam in arce corporis habitare.* Sic etiam Aldus

dus legit - Tò *Corporis* aliqui non habent, & quidem elegantius abesset, quum paullo supra eadem vox præcesserit. Hac eadem similitudine Hippon apud Celerinum Cap. vi. cum tota Pythagoræ Schola, Plato *in Timæo*, Cicero 1. *Tusculan. Quæst.* usi sunt.

d *Nec quicquam esse sublimius* Al. *Nec quidquam est sublimius*.

e *Sicut ipse Mundi Dominus, & rector in summo est*. Vide infra Seg. 6. quomodo hæc sint intelligenda.

 5. 

Deinde quod sensus omnis, id est audiendi, & videndi, & odorandi ministra membra in capite sint collocata [a]: quorum omnium viæ non ad pectus, sed ad cerebrum ferant [b], alioquin necesse non esset tardius sentire, donec [c] sentiendi facultas longo itinere per collum ad pectus usque descenderet.

---

a *Ministra membra in capite sint collocata* Al. *instrumenta membra* Al. *locata* Al. *sunt in locata*.

b *Quorum viæ non ad pectus sed ad cerebrum ferunt*. Confer quæ infra habentur Seg. 8.

c *Alioquin necesse non esset tardius sentire donec* Bon. *non essent* Al. *nos esset* Al. *quoque necesse non esset*. Conjicio legendum forte esse *Alioquin necessariæ hujusmodi viæ non essent*, aut *necesse nos esset tardius sentire*.

 6. 

Ii vero aut non multum, aut fortasse non

non errant [a]. Videtur enim mens, quæ dominatum corporis tenet, in summo capite, constituta, tanquam in cœlo Deus [b], sed quum in aliqua sit [c] cogitatione, commeare ad pectus, & quasi ad secretum aliquod penetrale secedere [d], ut consilium, tanquam ex thesauro reconditum, eliciat, ac proferat [e].
Ideo-

a *Hi vero aut non multum, aut fortasse non errant* Al. *Si vero* Al. *Hii autem* Hanc eandem sententiam recentiores omnes sunt amplexi, de qua vide in Diss. L. C.

b *Tanquam in Cœlo Deus*. Vide infra Seg. 10. Interea tamen nota, quod etsi Deus, ut inquit Augustinus Serm. 1. *de Verb. Apostol. Cap.* 1. Ita *est incomprehensibilis, & immensus, ut sit ultra omnia, extra omnia, præter omnia, ac proinde nullo possit loco circumscribi*; dicitur tamen in Cælis habitare authore Theodoreto in Psal. CXXII. *non veluti loco circumscriptus, sed veluti lætans cælestes virtutes, quæ Cælos incolunt*: vel quia sedem superiorem, digrioremque eidem assignare nescimus.

c *Sed quum in aliqua sit*. Sic Aldus corrigit Al. *sed quando* Al. *quam in aliqua* Al. *quasi in aliqua*.

d *Secedere* Al. *cedere* Plato apud Plutar. *de Placit.* L. IV., c. VI. & Galen. *de usu Part.* C. XXVIII. Animam quidem semper moveri dicit, mentem vero translationis motu moveri non posse, arbitratus est.

e *Ut consilium, tanquam ex thesauro, reconditum, eliciat, ac proferat* Sic Aldus. Bon. *Thensauro* Al. *recondito*. Stoicorum omnium hæc sententia fuisse videtur; quamvis enim, teste Plutarcho ubi supra cap. v., hi docerent, animæ, mentisque sedem sitam in toto corde, vel circa illud esse; hoc tamen de ejus principe parte intel-

intelligi voluerunt; & iccirco Laertius L. VII. Seg. 159. *Principalem vero*, ait, *potissimam, ac proprie esse animæ partem, in qua imaginationes, appetitusque gignuntur, atque unde sermo reddatur*. Id autem in corde fieri ad caput præced. Seg. 3. dictum est. Et Diss. XXV. L. C. & infra Seg. 8.

7.

Ideoque quum intenti ad cogitandum sumus, & quum mens occupata in altum se abdiderit [a], neque audire, quæ circumsonant [b]; neque videre, quæ obstant, solemus.

a *In altum se abdiderit* Al. *addiderit*.
b *Quæ circumsonant* desunt ista in aliquibus.

8.

Id vero sive ita est, admirandum profecto est, quomodo id fiat, quum ad pectus a cerebro nullum iter pateat [a]: sin autem non est ita, tamen nihilominus [b] admirandum est, quod divina, nescio qua, ratione fiat, ut ita esse videatur [c].



a *Id vero sive ita est, admirandum profecto est quomodo id fiat, quum ad pectus a cerebro nullum iter pateat* Al. *ex cerebro* Betuleius, Petavius, aliique quidam non de uno hisce Lactantii verbis implicito errore conqueruntur, & expostulant; quibus tamen satisfacimus Diss. XXV. cap. II. §. VII. Interea notamus *Tò iter pateat* referri

ferri debere ad *sensus*, de quibus Seg. 5. Noster dixit, quod *eorum viæ non ad pectus, sed ad cerebrum ferant*. Quæ autem esse putantur a cerebro ad pectus viæ, per quas spiritus transire dicuntur, adeo occultæ, & angustæ esse censentur, ut vix armatis oculis perspici hactenus potuerint. Vide superius ad cap. XI. a Seg. 6. seq. ubi Tò *iter patet*, idem valet, *ac viam apertam manifestamque*, quæ occultæ, ac abditæ opponitur, non autem negat; ut L. c. clarissime ostendit, loquens de via cibi, ac de via vocis. Adde Diss. proxime citatam §. XI.

b *Sin autem non est ita, tamen nihilominus* Al. *sive aut non tamen, sin autem non hoc tamen* Al. *sive autem, non hoc tamen* Al. *sin autem non est, nec tamen* Schottus ex nostra lectione delet Tò *ita*. Aldus retinet.

c *Ut ita esse videatur* Iterum ad cap. superius Seg. 3, alludit, ut heic Seg. 6. monuimus.



An potest aliquis non admirari [a], quod sensus ille [b] vivus [c], atque cœlestis [d], qui mens, vel animus nuncupatur [e], tantæ mobilitatis est [f], ut ne tum quidem, cum sopitus est, conquiëscat [g]: tantæ celeritatis [h], ut uno temporis puncto cœlum omne collustret: &, si velit, maria pervolet: terras, & urbes [i] peragret: omnia denique, quæ libuerit, quamvis longe, lateque summota sint [k], in conspectum sibi ipse constituat [l]? Et

a *An potest aliquis non admirari*. Sic omnes præter Bonon. qui prave negationem neglexit.

Sen-

b *Sensus ille* mentem intellige, more stoicorum hocce vocabulo appellatam; Teste quippe Cicerone didicimus L. I. Acad. Quæst. n. 41. *Zenonem, quod erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellasse*. Vide sup. cap. VIII. Seg. 10.

c *Sensus ille vivus* I. e. vitam habens cum ipso homine, nam eo moriente, ut videbimus infra cap. XVII. Seg. 3. *extinguitur*; & quidem incolumi manente anima, quæ a corpore separata phantasmatibus non indiget, ut quicquid voluerit intelligat. Vide Diss. XXVI. cap. I. §. I.

d *Vivus, & Cælestis* Additur etiam *cælestis*, ut a pura phantasia, qua muta etiam animantia sunt prædita, distinguatur mens in homine, in quo ob influxum intellectus etiam supracælestia quodammodo figurantur.

e *Qui mens, vel animus nuncupatur*. Hanc eandem explicationem clarius noster exponit infra cap. XVIII. Seg. 3.

f *Tanta mobilitatis est* Al. *mobilitatis sit* Al. *mobilitatis est* Al. *existit*. Superius Seg. 6. Platonis de motu animæ, & mentis sententiam laudavimus, sed de illiusmodi motu non est heic sermo; siquidem ex his, quæ mox sequuntur, perspicue apparet, Lactantium de mentis cogitatione loqui, qua celerrime, & nulló corporum, seu spatiorum interposito obice retardata, ubicumque voluerit mens percurrere dicitur, quum diversa objecta, quantumvis dissita, & separata, sibi contemplanda subinde proponit. Respicere autem videtur ad illud sapientiæ VII. ℣. 24.

*Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia:*
*Attingit autem ubique &c.*

Nam idem Zeno, ut paullo supra in hoc eodem segmento ex Cicerone vidimus, id non solum appellabat *sensum*, quod erat sensu comprehensum, sed ulterius

rius addebat, quod *si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, scientia tunc erat appellandum*; quæ quum sit sapientiæ quædam participatio, de illius etiam mobilitate debet participare. Vide Diss. xxv. cap. vii. §. xvi.

g *Ut ne tum quidem, quum sopitus est conquiescat.* Hinc fortasse Cartesius Animæ rationalis essentiam in perenni cogitatione sitam esse, contendit, cui Author *libelli de Spiritu, & Anima* inter opera S. August. Cicero *L.* II. *de Divin. C.* 67. eidemque Augustin. *L.* vii. *super Gen. ad litt. Cap.* xxvii. alias xxi. præivisse visi sunt; quæ tamen mentis potius naturæ, quam animæ essentiæ congruunt, ut ostendimus Diss. xxv. cap. vii. §. xiv., & infra cap. xviii. Seg. 3.

h *Tantæ celeritatis* Egregie, *inquit*, Bunemannus, hæc illustrat Weitzius ad Prudentii pag. 649. Adde Ciceron. *L.* I. *Tusculan. Quæst. Cap.* XIX. Senec. II. *de Benef. C.* xxix. Ovid. iv. *Tristium* II. ℣. 57., & Auth. *de Spiritu, & Anima* Cap. II. ubi discrimen assignans animum inter, & Deum ait. *Non talis est Animus, sed deficit, & proficit, noscit, & ignorat, meminit, & obliviscitur. Modo vult, modo non vult; diffusis cogitationibus, atque consiliis huc, atque illuc vagatur, & considerando, & vagando, & desiderando spectat omnia, videlicet, absentia, transit maria, visu ambit, & percurrit aspectu: abdita scrutatur, & in momento descendit ad inferna, ascendit inde, & sensus suos per totius orbis fines, & mundi secreta circumfert.* &c.

i *Terras, & urbes* Animadvertit Bunemannus, Ciceronem, & plures alios aureæ ætatis scriptores ante vocalem non copulam *&* sed *ac* ponere consuevisse, quod tamen a Valla neglectum est *L.* II. *elegant. cap. LVIII.*, utpote non religiose observatum a bonis. Confer Ciceronis Epistolas ad Atticum, in quibus promiscue

adhi-

adhibentur tam ante vocalem, quam ante consonantem, seu mutam, seu liquidam.

k *Quamvis longe, lateque summota sint* Postremum hocce verbum a quibusdam omittitur.

l *In conspectum sibi ille constituat* Al. *in conspectu*. utroque modo dici potest *Cicer.* I. *Acad.* Q. 14. *consedimus omnes in conspectu*. *Idem Tusc.* I. 50. *casurus ne in conspectum videatur animus?*

 10. 

Et miratur aliquis [a], si divina mens Dei [b] per universas mundi partes intenta discurrit, [c] & omnia regit, omnia moderatur, ubique præsens, ubique diffusa? cum tanta sit vis, ac potestas [d] mentis humanæ, intra mortale corpus inclusæ [e], ut ne septis quidem gravis, ac pigri [f] corporis, cui illigata est [g], coërceri ullo modo possit [h], quo minus sibi liberam vagandi facultatem quietis impatiens [i] largiatur.

Sive

a *Et miratur aliquis* - Sic omnes, & idcirco confirmatur nostra lectio Segmento superiori nota I. *An potest aliquis non mirari*, cui respondet heic, *& miratur aliquis* est, a minori ad majus argumentatio.

b *Si divina mens Dei.* Pari fere phrasi Lucr: L. VI. ℣. 56.

. . . . . . *Fieri divino numine rentur.*

c *Intenta discurrit . . . . Ubique diffusa?* Pythagoræ dicendi modum usurpat, de quo *L. de Ira Dei cap.* XI.

Seg-

*Segmento* 14. ait: *Pythagoras quoque unum Deum confitetur dicens, incorporalem esse mentem, quæ per omnem rerum naturam diffusa, & intenta vitalem sensum cunctis animantibus tribuat.* Idem habet Minutius Felix *in Octavio C.* XIX. vide superius *cap.* VIII. *Seg.* 17. *cap.* IX. *Seg.* 2. & 3. Lactantius vero de suo heic addidit *Tò discurrit*: respiciens fortasse ad Illud *Jo: Epist. III.* ỳ. 8. *Spiritus, ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: Sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* &c: vel potius ad illud *Sapientiæ* VIII. ỳ. 1. *Attingit ergo a fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter* Ubi S. Bernardus Lib. *de Grat.* & *Libero Arbitr. Non mobili discursione*, ait, *vel locali diffusione, vel subjectæ creaturæ tantum officiali administratione; sed substantiali quadam, & ubique præsenti fortitudine, quæ utique universa potentissime movet, ordinat, & administrat*. Vide supra *Seg.* 6. & *Diss.* XXIX. *Cap. V. Seg.* 11.

d *Vis, & potestas* Al. *virtus &c.*

e *Intra mortale corpus inclusæ* Al. omittunt *Tò corpus*

f *Gravis, ac pigri* Al. *gravis hujus, ac pigri*.

g *Cui illigata est* Al. *alligata*. Phantasiam organo corporeo illigatam esse, neminem latet; At de mutuo ejus cum intellectu humano in cogitationibus commercio eadem est apud omnes ignorantia, quam de corporis, & Animæ unione cuncti fateamur, necesse est.

h *Coerceri ullo modo possit* Bon. *nullo modo* prave, præcessit enim *ne* Al. *nullo pacto*. Al. *ullo pacto*.

i *Quietis impatiens* vide Seg. superiori.

 11. 

Sive igitur in capite mens habitat, sive in pectore [a], potest ne aliquis comprehendere,

a *Sive igitur in capite mens habitet, sive in pectore* Scite Noster in re dubia parti adhæret neutri.

re, quæ vis rationis efficiat, ut sensus ille incomprehensibilis, aut in medulla cerebri hæreat [b], aut in illo sanguine bipartito [c], qui est conclusus [d] in corde? ac non ex eo ipso colligat, quanta sit [e], Dei potestas, quod animus seipsum non videt [f], aut qualis, aut ubi sit: nec si videat, tamen perspicere possit, quo pacto rei corporali res incorporalis adjuncta sit [g].

---

b *Aut in medulla cerebri hæreat.* Expresse sic recenter docuit Haller. in Præl. Magistri sui Boerh. *Tom.* IV. *ad* §. 568. Hinc collige quam vero similis sit conjectura nostra superiori *Cap.* XI. *Seg.* 8.

c *Aut in illo sanguine bipartito* vide ad *Cap.* X. *supra Seg.* II., & *Diss.* XXV. *Cap.* VII. §. XXI.

d *Qui est conclusus* Al. *inclusus* Al. *infusus*.

e *Quanta sit* Bon. *quæ tanta sit*.

f *Se ipsum non videt* Scilicet in statu unionis cum corpore, Animus noster se noscere nequit clare, & distincte, nisi speciali lumine ejus intellectus a Deo donatus fuerit. Ut quibusdam divinitus datum esse in sanctorum vitis sæpe legimus, & sapientissime quomodo id contingat S. Mater nostra Theresia in suis operibus docet. Vide *Diss. XXV. Cap. IX.* §. IX. *&* *supra Seg.* I.

g *Rei corporali res incorporalis adjuncta sit*. Hinc collige expositionem veram de eo, quod *mentis* vocabulo Lactantius intelligit, juxta ea, quæ hactenus diximus, & *Diss. XXV. Cap. VII.* §. *XIII. & Cap. IX.* §. *XI.* dicturi sumus.

## 12.

Sive etiam mentis locus nullus est [a], sed

per

per totum corpus ſparſa diſcurrit, quod etiam fieri poteſt [b], & a Xenocrate, Platonis diſcipulo, [c] diſputatum eſt, ſiquidem ſenſus in qualibet parte corporis præſto eſt [d]: nec quid ſit mens ipſa [e], nec qualis intelligi poſſit, cum ſit natura ejus [f] tam ſubtilis, ac tenuis, ut calidis viſceribus infuſa [g], vivo, & quaſi ardente ſenſu, membris omnibus miſceatur.

Illud

---

a *Sive etiam mentis nullus locus eſt* En tertia opinio ex iis, de quibus ſupra *Seg.* 3. locuti ſumus. Hanc, qui mentem cum anima confundunt, Ariſtotelicis merito tribuunt, nec Lactantius reprobat.

b *Quod fieri poteſt* Al. *& quod fieri poteſt* Al. *quod etiam* &c. Heum. *Id quod etiam*.

c *A Xenocrate, Platonis diſcipulo* De hoc Philoſopho *Diſſ. XL. Cap.* XIII. §. XIII. Ejus vero de Animæ, ſeu mentis, per totum corpus diffuſæ, ſententiam, cum aliorum Philoſophorum placitis retulimus *Diſſ.* XXV. *Cap.* VII. §. XXV.

d *In qualibet parte corporis præſto eſt*. An autem ibi ſenſatio fiat, nunc valde inter philoſophos controvertitur vide *Diſſ.* XXV. *Cap.* VI. §. V.

e *Quid ſit mens ipſa*: ultima vox deeſt in pluribus,

f *Cum ſit natura ejus* Ultimam vocem ex noſtro Cod, & Aldi teſtimonio reſtituimus.

g *Ut calidis viſceribus incluſa* Sic quoque Aldus legendum duxit. Al. *ſolidis* Al. *ſolis* Noſtra lectio cæteris omnibus præferenda, quum mens in ſtatu conjunctionis animæ cum corpore non ſolis ſolidis, aut ſtuidis partibus indigeat ad ſua officia peragenda ſed iis omnibus moderato calore perfuſis. Vide *Diſſ.* XXV. *Cap.* IX. §. IX.

 13. 

Illud autem cave, ne unquam simile vero [a] putaveris, quod Aristoxenus dicit [b], Mentem omnino nullam [c] esse, sed quasi harmoniam in fidibus, ex constructione [d] corporis, & compagibus viscerum vim sentiendi existere. Musici enim intentionem, concentumque nervorum in integros modos sine ulla offensione consonantium [e] harmoniam appellant [f].

Vo-

---

a *Simile vero* Al. *simile veri*

b *Quod Aristoxenus dicit* Bon. *Aristoxenes* Schottus, & Al. *dixit*, De hoc Philosopho disseruimus Diss. XL. *Cap.* XVIII. §. IV. Hanc sententiam finitimam esse diximus illi, quam Pluto de *Plac. Phil. L.* IV. *Cap.* II. tribuit *Dicearcho* Numenius *de Natura hom.* C. II. *Dinarcho*. *Theodoretus Therapeut*: *Clearcho*; & Cicero in I. *Tuscul.* Q. a Platone explanatam asseruit. An autem coincidat cum Harmonia præstabilita Leibnitii, saltem secundum illustrationem Bulfingerii, aut Wolfii vide *Diss.* XXV. *Cap.* VII. §. XV.

c *Mentem omnino nullam Tò omnino* deest in aliquibus. Lucretius L. III. ℣. 98.

*Quamvis multa quidem sapientum turba putarunt,*
*Sensum animi certa in parte non esse locatum;*
*Verum habitum quemdam vitalem corporis esse,*
*Harmoniam Graii, quam dicunt, quod faciat nos*
*Vivere cum sensu, nulla cum in parte siet mens.*

d *Harmoniam in fidibus ex constructione* Al. *fidibus & ex* Heum. *fidibus sic ex* Al. *conactone* I. e. inquit, Bun. *ex contactione* vide *ad Lib.* VII. *Divin. Inst. Cap.* XIII. *Seg.* 9.

Con-

e *Consonantium* Ab adjectivo *consonans tis* Ciceroni usitatum Bon. *consonalium* prave.

f *Harmoniam appellant*. Al. *Harmoniam vocant* Cicero ubi supra *Ipsius corporis*, inquit, *intentionem quandam, velut in cantu, & fidibus, quae Harmonia dicitur*. Lact. *L.* VII. *Div. Inst. Cap.* XIII, *Seg. 9. musici Harmoniam vocant*.

 14. 

Volunt igitur animum simili ratione constare in homine, qua concors modulatio [a] constat in fidibus: scilicet ut singularum [b] corporis partium firma conjunctio, membrorumque omnium consentiens in unum vigor motum illum sensibilem faciat, animumque concinnet [c], sicut nervi [d] bene intenti conspirantem [e] sonum.

Et

a *Qua concors modulatio* Al. *qua & concors*.

b *Scilicet ut singularum* Sic nobiscum etiam Aldus Al. *idest ut singularum* Al. prima voce neglecta, *ut singularum* Al. *Scilicet ut singularium*.

c *Faciat, animumque concinnet, sicut nervi &c.* Al. *facit.... continet* Al. *faciat continet* Al. *contineat* Al. *sicut sunt nervi* Tomas. subaudit *efficiunt*. I. e. *sicut nervi efficiunt sonum, quum sunt bene intenti*.

d *Sicut nervi* Al. *sicut sunt* Aldus delet hanc ultimam vocem.

e *Bene intenti conspirantem sonum* Sic etiam Aldus Al. *ad cospirantem*.

 15. 

Et ſicuti in fidibus, quum aliquid aut interruptum [a], aut relaxatum eſt, omnis canendi ratio vexatur, turbatur, & ſolvitur [b]: ita in corpore quum pars aliqua membrorum duxerit vitium, deſtrui univerſa, corruptiſque omnibus, atque turbatis, occidere ſenſum [c], eamque mortem vocari.

a *Aut interruptum* Al. *interceptum* Aldus noſtram ſervat lectionem.

b *Ratio vexatur, turbatur, & ſolvitur* Tò *vexatur* in pleriſque non adeſt Al. *perturbatur*.

c *Occidere ſenſum* Francius apud Langletium *Hoc eſt, mentem* Quam tamen Seg. 13. *nullam eſſe*, putaſſe vidimus, Ariſtoxenum.

 16. 

Verum ille, ſi quicquam mentis habuiſſet, numquam harmoniam [a] de fidibus ad hominem tranſtuliſſet. Non enim canere ſua ſponte fides poſſunt, ut ſit ulla in his comparatio, ac ſimilitudo viventis. Animus autem ſua ſponte & cogitat, & movetur [b].

P Quod

a *Numquam harmoniam* Al. *non harmoniam* Al. *non unquam harmoniam*.

b *Animus autem ſua ſponte & cogitat, & movetur* vide ſupra Seg. 9.

 17. 

Quod si quid in nobis esset harmoniæ simile [a], ictu moveretur externo [b], sicut nervi manibus, qui sine tractatu artificis [c], pulsuque digitorum muti, atque inertes jacent.

---

a *Esset harmoniæ simile* Al. *Tò esset* postponunt.

b *Ictu moverentur externo* vide Diss. xxv. C. VI. *Seg.* VIII.

c *Qui sine tractatu artificis* Sic Aldus Al. *actu artificis* Al. *tactu*; sed male, nam heic & de pulsu digitorum, de quo statim, ac de musica tractatione, seu *tractatu* sermo est Cicer. III. *de Orat.* 83. *Qui ipsarum artium* tractatu *delectati, nihil in vita aliud agunt* & II. de Divin. 9. *Nec vero qui tibiis, aut fidibus uti volunt, ab aruspicibus accipiunt earum tractationem, sed a musicis*.

 18. 

Sed nimirum pulsandus ille manu fuit [a], ut aliquando sentiret, quia mens ejus ex membris male compacta [b] torpebat.

CA-

---

a *Pulsandus ille manu fuit* Cic. *Verr. v. Sex Lictores circumsistunt valentissimi, & ad pulsandos, verberandosque homines exercitatissimi*.

b *Ex membris male compacta* Scilicet quia ipse Aristoxenus, mentem, animamque ex materia compactas, putabat, nihil aliud esse, quam corpus ipsum organizatum. Hinc Lucretius L. III. ỿ. 131.

*Quapropter, quoniam est Animi natura reperta*

*At-*

*Atque animæ quasi pars hominis, redde* Harmoniai
*Nomen ab organico saltu delatum* Heliconis ;
*Sive aliunde ipsi porro traxere, &c.*

## CAPUT XVII.

 I. 

SUperest de anima dicere [a]: quanquam percipi ratio ejus,& natura non possit [b]. Nec ideo tamen immortalem esse animam, non intelligimus [c]: quoniam quicquid viget, moveturque per se semper [d], nec videri; aut tangi potest: æternum sit necesse est.

 Quid

a *Superest de Anima dicere* Hactenus enim ita de mente disputaverat, tamquam ab anima distincta sit, & separabilis, ut infra magis patebit : præsertim *L.* VII. *Cap.* XII. *Seg.* 9.

b *Quanquam percipi ratio ejus, & natura non possit.* Sic Philosophi non solum,sed etiam Theologi omnes fatentur. V. *Diss.* XXV. *C.* IX. §. IX.

c *Non intelligimus* Sic omnino legendum, & si *Tò non* in aliquibus est omissum. Bon. *intellegimus* Quamquam quæ ab antiquis, recentioribusque Philosophis ad animæ immortalitatem evincendam excogitatæ sunt argumentationes, firmissimæ demonstrationis fortasse vim non obtinuerint; *erroneum tamen est*, inquit Melchior Canus *L.* XII. *C.* XIV.*de Usu Locor. in Schol. disp.*: *ne dicam hæreticum, astruere, animæ immortalitatem, naturali ratione demonstrari non posse.* An autem id Lactan

ctaniius præstiterit *L.* VII. *Cap.* VIII., & *Diss.* xxv. *Cap.* VIII. §. II. visuri sumus.

d *Quicquid viget, & movetur per se semper* Hoc idem argumentum, tamquam a Platone minus apte adhibitum, Noster refert *L.* VII. *Cap.* VIII. *Seg.* 4. & *seq.* vide Cicer. *in somn. Scip. apud Macrob. L.* II. *Cap.* XIII.

 2. 

Quid autem sit anima, nondum inter philosophos convenit [a], nec unquam fortasse conveniet. Etenim alii sanguinem esse dixerunt [b], alii ignem [c], alii ventum [d], unde anima, vel animus nomen accepit: quod Græce ventus ANEMOS dicitur [e]: nec illorum tamen quisquam dixisse aliquid videtur.

Non

a *Nondum inter Philosophos convenit* Vide Gatakerum ad Antonin. Philos. *L.* IV. & *Jo.* Brucker *Hist. Crit. Philos.* passim, & *Diss. nostram* xxv. *Cap.* VII. §. IX.

b *Alii sanguinem esse dixerunt* Aristoteles *L.* I. *de Anima*: Critiæ hanc opinionem tribuit, & Cicero L. I. Tuscul. Quæst. refert, Empedoclem docuisse, animam esse cordi suffusum sanguinem. Vide Tertul. v. *de Anima* & Theodor. Serm. v. *de Nat. hom.* Polluc. *L.* II. *Cap.* IV. *Onom.* Macrob. *L. I. in somn. scrip. C.* XIV.

c *Alii ignem* Hipparchus, & Heraclitus ex Tertulliano, Parmenides, etiam, & Hippasus ex Theodoreto; quamvis Macrobius Parmenidem dicat, ex terra, & igne, animam compositam, asseruisse. Zenon ex Cice-

Cicerone, Demetrius ex Plutarcho, Democritus ex Nemesio, & Leucippus ex Aristotele, &c; Idcirco etiam Virgilius Æn. VI. ℣. 730.

*Igneus est ollis vigor, & Cælestis origo.*

Idem putasse dicendi sunt. Vide Lact. *L.* II. *C.* XII. *Seg.* 14.

d *Alii ventum* Plutarchus L. IV. *de Plac.* C. III. Anaxagoreorum, & Tertullianus Stoicorum, hoc placitum fuisse dixerunt.

e *Quod Græce ventus anemos dicitur* Al. ἄνεμος *dicitur* Hæc ultima vox deest in nostro Bon. Cod. sed necessariam esse judicavimus, antecedens vero charactere Latino ibidem legitur.

 3. 

Non enim, si anima sanguine aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumpto, videtur extingui, continuo in materia sanguinis animæ ratio ponenda est: veluti si veniat in quæstionem [a], lumen, quo utimur, quid sit, & respondeatur oleum esse: quoniam consumpto illo [b], lumen extinguitur: cum sint utique diversa, sed alterum sit alterius alimentum. Videtur ergo anima similis esse lumini, quæ non ipsa sit sanguis; sed humore sanguinis [c] alatur [d], ut lumen oleo.

P 3 Qui

a *Veluti proinde si veniat in quæstionem.* Sic restituo ex nostro Bon. Codice, quamquam ibi potius *proendæ*, aut *ponendæ* legitur Al. *veluti si veniat* Al. *veluti si proveniat*. Quo-

b *Quoniam consumpto illo* Al. *quam consupto illo* Al. *consumpto oleo* .

c *Sed humore sanguinis alatur* Al. *alitur* Al. *halatur* . Verbum *Alo* non solum significat id, quod est *Nutrio* , *pasco* &c. sed etiam, id quod est *detineo*, *moror* &c. Italis *Trattengo*, *sostengo* Iccirco idem Lactantius *L.* VII. *Div. Inst. Seg.* 23. *Cap.* XII. de hac eadem re loquens ait: *Quæ* ( anima ) *quum materia sanguinis* contineatur, *sicut lumen oleo* &c. sicuti enim oleo colligitur, ac continetur ignis, & igne lumen, quamquam ob utroque distinctum, sic sanguine membra colligata continentur in corpore, & in corpore bene disposito continetur anima, quamvis neutrius consors; sed utrique tam mirabili modo conjuncta, ut quemadmodum ex eorum unione vita hominis constat, sic iisdem invicem separatis mors sequi necesse sit. Vide superius ad Cap. XI. Seg. 5. ubi idem de aere diximus, & heic infra Seg. 9. nota ultima *L.* II. *D. I. Cap. X.* Al. XI. *Seg.* 22. L. VII. Cap. XII. Seg. 23. & Diss. XXV. Cap. III. §. XIX.

d *Alatur* Xenocrates a Nemesio laudatus, dixisse fertur: *omne corpus alitur*: *Anima non alitur*; quod tamquam adagium receptum est in Scholis Philosophorum. Intellige de alimentis, quæ proprie nutriunt, quibus anima rationalis ad sui subsistentiam minime indiget, quamquam iis necessario utitur corpus, quod naturaliter sine illis animæ consortio diu frui non possit. Sicuti lumen, quod vere non nutritur oleo, vel alia quacumque materia, in qua est: sed solum ibidem detinetur, colligiturque donec apta illa ad id continendum perseveret. Vide Diss. supra laudatam, & adde, quæ diximus Diss. XXIV. Cap. III. §. V. ubi de luce, de lumine, ac splendore corporum quorumcumque egimus.

 4. 

Qui autem ignem putaverunt, hoc usi sunt argumento, quod præsente anima corpus caleat, recedente frigescat [a]. Sed ignis & sensu indiget, & videtur, & tactu comburit. Anima vero & sensu aucta est [b], & videri non potest, non adurit. Unde apparet, animam, nescio quid, esse Deo simile [c].



a *Recedente frigescat* Nempe Epicurus, & Iccirco Lucretius L. III. ℣. 529.

. . . . . . . . . *Inde per artus*
*Ire alias tractim gelidi vestigia lethi.*

b *Et sensu aucta est* I. e. *Prædita*. Idem Lactantius *Divin. Inst.* L. II. *Cap.* VI. *Seg.* 6. Adde Vorst. *de Latinit. Selecta pag.* 133. ex Bunem.

c *Unde apparet animam, nescio quid, esse Deo simile* Al. *similem* prave. *Hæc sobrio intelligenda sunt*, inquit heic Langletius. At Deus ipse hominem conditurus *Faciamus*, ait *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* Gen. I. ℣. 26., & ℣. 27. *Ad imaginem Dei creavit illum* Quæ utique de Anima sunt intelligenda. Lactantius vero ita concludit, quia ex eo, quod Anima rationalis sit lumini similis; & quamvis invisibilis, & incorporea, corpori tamen vitam dans, in hoc etiam Deo similis apparet, qui lumen est indeficiens, & ut sæpe inquit Augustinus *sicut anima est vita corporis, sic vita animæ Deus.* In Evangel. in Matt. 5. VI. Cap. 1. In Ps. LXII. & CXX. Vide Diss. XXV. Cap. VII. §. X.

 5. 

At illi, qui ventum putant esse [a], hoc falluntur, quod ex aere spiritum ducentes, vivere videremur [b]. Varro ita definit [c]: *Anima est aër conceptus ore, defervefactus in pulmone, temperatus in corde* [d], *diffusus in corpus*.

---

a *At illi, qui ventum putant esse* Bon. *Ad illi &c.* Al. ultimam vocem omittunt. Aldus restituit.

b *Vivere videremur* Al. *videmur* Al. *viderentur* Al. *videamur*. Vide Cap. XI. Seg. 5. Aldus nobiscum legit.

c *Varro ita Definit* Al. *Varro itaque* Al. *diffinit* Al. *deffinit* Al. *desinit*.

d *Temperatus in corde* Al. *tepefactus* Al. *deferre factus* Voss. *L. II. de Idolol. Gent. Cap. LXXXIII. Natura rei sic postulante, legendum est*, inquit, *Tepefactus in pulmone, fervefactus in corde* & quidam ita etiam ex recentioribus legunt. Ego vero nihil cum Bunem. mutandum censeo, quia nihil certi hac de re affirmari potest, diversa diversis exhibentibus. Aldus nobiscum legit ex utroque Codice.

 6. 

Hæc apertissime falsa sunt. Neque enim tam obscuram nobis hujusmodi rerum [a] dico esse rationem, ut ne hoc quidem intelligamus,

---

a *Hujusmodi rerum* Al. hanc ultimam vocem non habent Al. utramque omittunt Aldus restituit.

Quod

mus, quid verum esse non possit [b]. An si mihi quispiam [c] dixerit æneum esse cœlum, aut vitreum, aut, ut Empedocles ait, aerem glaciatum [d], statim ne assentiar, quia cœlum ex qua materia sit, ignorem? Sicut enim hoc nescio, ita illud scio [e].

---

b *Quod verum esse non possit* Ob rationes scilicet quas infra, & *L.* VII. *Cap.* XII. Divin. Inst. erat daturus. Al. *quid vere.* Schottus *quid vero*. Al. *quod verum.* Bon. non *possint*.

c *An si mihi quispiam:* sic etiam Aldus Al. quis

d *Aut vitreum*, *aut ut Empedocles* ait, *aërem glaciatum* Sic Aldus Al. *vitreum*, *ut Empedocles*, *aut aërem* Plut. *L.* II. *de Plac. Cap. XI. Empedocles solidum esse Cælum ex aëre ab igne compacto*, *Crystalli ad instar* factum esse putavit. Vide etiam Lært. *L.* VIII. *Seg.* 77. de Empedocle vero egimus Diss. XL. *Cap.* XVI. *§.*2.

e *Ita illud scio* Heum. *scribendum*, inquit, *necessario*: Ita nec illud scio. Sed errat, nam planus, & obvius sensus est *Sicut hoc nescio*, nempe ex qua materia sit Cælum *ita illud scio*, nempe *verum esse non posse*, Cælum *esse vitreum*, *aut aërem glacintum*, *aut æneum*.

 7. 

Anima ergo [a] non est aer ore conceptus, quia multo prius gignitur anima, quam concipi aer ore possit [b]. Non enim post partum [c] insi-

---

a *Anima ergo* Al. *Anima igitur*.

b *Multo prius gignitur anima*, *quam concipi aer ore possit*. Formato corpore organico in Utero Matris, sta-

insinuatur [d] in corpus, ut quibusdam philosophis videtur, sed post conceptum protinus [e], cum fœtum in utero necessitas divina [f] formavit: qui adeo vivit intra viscera matricis [g], ut & incremento augeatur, & crebris pulsibus gestiat emicare [h]. Denique abortum fieri necesse est si fuerit animal intus extinctum [i]. Cæ-

---

statim ei Deus Animam infundit, non tamen per os puer respirare potest aerem nostrum communem, donec ibidem maneat, quum flandi aditus pateat illuc nullus. Providentissimus Artifex Deus ideo infantium cordibus *foramen*, quod dicunt *ovale* adapertum apposuit, ut inde puer respirare possit a primordio organizati corporis, cui Anima infundi diximus *Cap. XII. Seg.* 6., & *Diss. xxv. Cap.* IV. *§.* IV.

c *Non enim post partum insinuatur in Corpus, ut quibusdam Philosophis videtur*. Hos impugnavit etiam Tertullianus de Anima Cap. 35. & inter eos non solum Plato, Hicesius, Stoici, & Ænesidemus fuisse videntur, sed etiam Praxagoras, & Asclepiades, ut tradit Galenus *L. de Utilit. Respir.* Adde Gasseudum Tom. II., & Pamel. ad Tertul. L. C. Aetius adjungit Diogenem, & Hermophilum, immo & Empedoclem *in hist: Philosop.*

d *Insinuatur:insinuari*, aut *imprimi* Animam Stoici & Pythagorei dicebant; ne dicerent animam nasci, vel *creari* Lucret. L. III. ꝟ. 698.

*Quod si forte putas extrinsecus insinuatam*
*Permanare animam nobis per membra solere &c.*

Vide *Lact. L. III. Cap. XVIII. Seg.* 11.

e *Sed post conceptionem protinus* Vide infra Cap. XVIII. Seg. 4.

f *Necessitas Divina* Intellige *Divinam voluntatem*, ut ex-

explicatum est *Diss.* xxvii. *Cap II.* §. xvi.

g *Qui adeo vivit intra viscera matricis* Al. *quia adeo* &c. Al. *viscera Genitricis*. Fulvius Ursin. putat *Tò quia* factum ex *a* vocis sequentis.

h *Crebris pulsibus gestiat emicare* Tertull. de Anima ubi supra *Respondete Matres, vosque prægnantes, vosque puerperæ*, ait, ... *Vestræ Naturæ veritas quæritur, vestræ passionis fides convenitur: An aliquam in fætu sentiatis vivacitatem, alienam de vestro? de quo palpitent illa:* MICENT *latera, tota ventris ambitio pulsetur, ubique ponderis regio mutetur?* &c. *Emicare* autem est proprie *eminus efferri*, & impetu quodam *irruere* Virgil. vi. *Æn.* ℣. 5.

. . . . . . . . . . . *Juvenum manus emicat ardens*
*Litus in Hesperium*.

& Ovidius IV. *Metamorf.* ℣. 112.

. . . . . . . . . ; *Cruor emicat alte.*.

i *Abortum fieri necesse est: si fuerit animal intus extinctum*. Quia tunc, *ait* Diemerbroeck. L. I. *Anatom.* extr: *pondere suo fit utero gravis, & molestus, eumque ad expulsionem irritat.* Ad dignoscendum autem, an vere in utero infans mortuus sit, ejus pulmones in vas, aquæ plenum, imponunt, & quum merguntur, & fundum petunt, exploratum habent, ibidem obiisse; secus autem si innatent, nam in primo experimento respirati aeris defectus clare apparet, in secundo vero eius existentia sese manifeste prodit. Vide Craan. *de Hom. Cap.* CXLIX. Unde id confirmatur, quod supra diximus ad Seg. 7. de prolis respiratione.

 8. 

Cæteræ definitionis partes eo spectant, ut

ut illis novem mensibus, quibus in utero fuimus, mortui fuisse videamur [a].

a *Mortui fuisse videamur* Al. *esse*.

 9. 

Nulla ergo ex his tribus vera sententia est [a]. Nec tamen in tantum eos falsos esse dicendum est, qui hæc senserunt, ut omnino nihil dixerint. Nam & sanguine simul, & calore, & spiritu vivimus. Sed quum constet anima in corpore his omnibus adunatis [b], non expresserunt, proprie quid esset: quia tam non potest exprimi, quam videri.



CA-

a *Nulla ergo ex his tribus vera sententia est* scilicet, *sanguinem*, aut *ignem*, aut *ventum*, animam esse, ut supra Seg. 2. dictum fuerat.

b *Quum constet anima in corpore, his omnibus adunatis* scilicet: *simul stat* in corpore cum his tribus: quibus deficientibus emigrare naturaliter debet. Vide supra Seg. 3. Al. *Tò in corpore* omittunt. Al. *Tò his* non habent.

## CAPUT XVIII.

 I. 

SEquitur alia, & ipsa inextricabilis [a] quæstio: idem ne sit anima, & animus: an vero aliud sit illud, quo vivimus, aliud autem, quo sentimus, & sapimus [b]. Non desunt argumenta in utranque partem.

a *Et ipsa inextricabilis* Al. secundam vocem omittunt.

b *An vero aliud sit illud, quo vivimus, aliud autem quo sentimus, & sapimus.* Homo enim commune habet vivere cum plantis, sentire cum Brutis, intelligere cum Angelis. Controvertitur autem habeat ne hæc omnia ab unica, an primum a vegetativa, secundum, a sensitiva, tertium ab Anima rationali, vel alio quodam modo, methodo mechanica explicando? Vide Diss. xxv. *Cap.* vii. §. xvii.

 2. 

Qui unum esse dicunt [a], hanc rationem sequuntur, quod neque vivi sine sensu possit, nec sentiri sine vita: ideoque non posse esse diversum id, quod separari non potest [b]: sed quic-

a *Qui unum esse dicunt* Al. *qui enim*

b *Non posse esse diversum id, quod separari non potest* Al. *esse non posse diversum, id, quod non potest separari*

quicquid est illud, & vivendi officium, & sentiendi habere rationem. Idcirco animum, & animam indifferenter appellant duo Epicurei poëtæ [c].

---

*rari* Betuleius *Atqui*, inquit, *ob hoc* ἀντίστρεφον *hæc quæstio inextricabilis non est. Nam utrumque homo cum animantibus mutis non modo commune habet, sed animantes utroque hominem sæpe superant.* Quasi hoc satis sit ad propositam Quæstionem enodandam, quam tamen solutio ista nec tangit quidem, aut aliquo modo discernit. Quantitas, & figura, E. G. ab invicem separari non possunt; & tamen quis idem esse dicat? Vide Diss. xxv. *Cap.* vii. *§.* xiv.

c *Duo Epicurei Poetæ.* Vide Diss. XL. *Cap.* xxii. *§.* XLIII. sunt qui putent unum ex iis esse Lucretium, alium vero Horatium. Lucr. Lib. III. ℣. 137.

*Nunc animum, atque animam dici conjuncta teneri.*
*Inter se, atque unam naturam conficere ex se;*
*Sed caput esse quasi; & dominari in corpore toto*
*Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus.*

 3. 

Qui autem dicunt esse diversa, sic argumentatur: Ex eo posse intelligi, aliud esse mentem [a], aliud esse animam [b]: quia incolumi anima mens possit extingui [c], quod accidere soleat insanis. Item quod anima morte sopia-

---

a *Aliud esse mentem* scilicet, qua sapimus.
b *Aliud esse animam* videlicet, qua vivimus,

piatur, animus somno [c]: & quidem sic, ut non tantum, quid faciat [d], aut ubi sit, ignoret: sed etiam rerum falsarum contemplatione fallatur.

c *Quia incolumi anima mens possit extingui* Vide *L.* VII. *Cap.* XII. *Seg.* 9. & seq. ubi ex propria sententia Lactantius loquitur, qui heic aliorum dumtaxat opiniones refert.

d *Anima morte sopiatur, animus somno* Lactant. ubi supra *dormientium mens non anima sopitur, & in furiosis mens extinguitur, anima manet. Sopiri* interdum pro *somno capi*, interdum pro *altius opprimi* usurpatur. Hinc Plinius L. XXI. Cap. XVIII. de Euripice, junci specie, loquens, ait. *Hujus semine somnum allici; sed modum servandum, ne sopor fiat*. Heic Lactantius Epicuri opinionem indicare videtur, qui mortem nihil aliud esse asseruit, quam sensus privationem propter animæ excessum: ex Laertio L. X. Seg. 65.

e *Quid faciat* Al. *quid fiat*.

 4. 

Quod ipsum quomodo fiat, non potest pervideri: cur fiat, potest. Nam requiescere nullo pacto possumus, nisi mens [a] visionum imaginibus occupata teneatur [b]. Lateret autem mens [c] oppressa somno, tamquam ignis obducto cinere sopitus: quem si paululum commoveris, rursus ardescit, & quasi evigilat. Avo-

a *Nisi mens* &c. vide infra Seg. 7.

*Nam*

b *Nam requiescere nullo pacto potest, nisi mens visionum imaginibus occupata teneatur*. Isæus *Quid qui non somniant*, inquit, *& tamen dormiunt, & requiescunt?* Immo & in eo Lactantium errasse putat, quod somnum, & insomnium mentis affectum esse putet, quum sit Phantasiæ ex Aristotele L. de *Insom. Cap. I.* &c. Betuleius Lactantium excusat; sed pace eorum, longe uterque sunt a mente Authoris nostri: vide hoc explanatum Diss. xxv. *Cap.* vi. §. vi. & *Cap.* vii. §. xvii.

c *Lateret autem mens*. Sic etiam Aldus legit, ubi Alii omnes habent: *Latet autem*.

 5. 

Avocatur ergo simulacris, donec membra sopore irrigata vegetentur [a]. Corpus enim vigilante sensu, licet jaceat immobile, tamen non est quietum: quia flagrat in eo sensus, & vibrat, ut flamma [b], & artus omnes ad se adstrictos tenet.

a *Vegetentur* I. e. *vigorem capiant* ut L. *de Ira Dei c.* xvii. Seg. 3.

b *Flagrat in eo sensus, & vibrat, ut flamma* vide Diss. xxv. *Cap.* vi. §. i.

 6. 

Sed postquam mens ad contemplandas imagines ab intentione traducta est,[a] tunc demum corpus omne resolvitur in quietem.

Tra-

a *Ab intentione traducta est* Somnum fieri quum sensibi-

*ſibilis intentio circa principale ſolvitur.* Opinio Stoicorum eſt apud Laertium *L.* VII. *Seg.* 158. Neque Ariſt. in Lib. *de ſomno*, *& vigilia* ab ea longe diſcrepare videtur. vide in *Diſſ. ubi ſupra*.

 7. 

Traducitur autem mens cogitatione cæca [a], quum cogentibus tenebris ſecum tantummodo eſſe cœperit: dum intenta eſt in ea, de quibus cogitaret, repente ſomnus obrepit, & in ſpecies proximas ſenſim ipſa cogitatio declinat: ſic ea, quæ ſibi ante oculos poſuerat, videre quoque incipit.

a *Traducitur autem mens cogitatione cæca*. Ceſſantibus enim externorum ſenſuum delationibus, phantaſticis imaginibus mens occupatur; ut ibidem declaravimus, & ea, quæ heic ſequuntur oſtendunt.

 8. 

Deinde procedit ulterius, & ſibi avocamenta invenit, ne ſaluberrimam quietem corporis interrumpat. Nam ut mens per diem veris viſionibus avocatur, ne obdormiat, ita falſis nocte, ne excitetur. Nam ſi nullas [a] imagines cernat, aut vigilare illam neceſſe erit [b], aut perpetua morte ſopiri.

Q Dor-

a *Nam ſi nullas* Aldus *quæ ſi* &c.
b *Neceſſe erit* Al. *neceſſe eſt*.

 9. 

Dormiendi ergo caussa [a] tributa est a Deo ratio somniandi, & quidem in commune universis animantibus, sed illud homini præcipue [b], quod quum eam rationem Deus quietis caussa daret, facultatem sibi reliquit docendi hominem futura per somnium [c].

---

a *Dormiendi ergo caussa. Si recte expendas, heic dormitasse Lactantium videas* inquit Schottus: mihi vero dum hæc lego non Lactantius dormitans, sed Schottus somnians videtur. Ille quippe Philosophorum opiniones referens, & illud Plinii *L.* x. *Cap.* LXXV. recte describens. *Est autem somnus nihil aliud, quam animi in medium sese recessus*, colligit quod ex iis, tamquam a posteriori eruitur; hic autem lapsum sibi fingit, quem corrigat, & castiget.

b *Sed illud homini præcipue:* Scilicet *tributum est* Heum. vero: *mendum*, inquit, *manifestum*. *Rescribo* SED ILLUD HOMINIS PRÆCIPUUM EST. At Bunem. hanc lectionem, in nullo Codice repertam, rejicit, & *sola*, ait, *Gymnici editio, quæ in hoc libro non facile ab Erasmiana abit, habet* Homini proprium: *num ex ingenio correctoris, an libro antiquo, non definio*. Cæteri omnes nobiscum legunt.

c *Docendi hominem futura per somnium*. Juxta illud Joel III. ℣. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt*.

 10. 

Nam & historiæ sæpe testantur [a], exti-

tisse

tisse somnia, quorum præsens, & admirabilis fuerit eventus: & responsa vatum nostrorum ex parte somniis constiterunt [b].

a *Nam & historiæ sæpe testantur*. Et quidem tam sacræ, quam prophanæ, ut notissimum est. Vide Diss. xxv. *Cap.* vi. §. vi.

b *Ex parte somniis constiterunt* Al. *somnii*.

 11. 

Quare neque semper vera sunt, neque semper falsa, Vergilio teste, * qui duas portas [a] voluit esse somniorum. Sed quæ falsa sunt, dormiendi causa videntur: quæ vera, immittuntur a Deo, ut imminens bonum, aut malum hac revelatione discamus.





a *Qui duas portas* Virgilius L.C.Antiquis *Vergilius*.
*Sunt geminæ somni portæ, quarum altera, fertur,*
*Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:*
*Altera &c.*

Quæ ex *Odyssea* V. translata esse videntur, & in L. *de Anima* a Tertull. ab Arist. *de Divin. per som.* a Macrob. *in somn.* Scipionis explanata sunt. Adde *Genes.* xx. 3., Est alibi sæpe in Divinis Scripturis, de quibus in Diss. ubi supra disputavimus.

* Virgil. L. VI. Æn. ỿ. *694*.

# CAPUT. XIX.

 1. 

ILlud quoque venire in quæstionem potest, Utrum ne anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex utroque generetur [a].

a *Ex patre, an potius ex Matre, an vero ex utroque generetur* Diu hæc Quæstio agitata fuit inter Doctores, quorum placita Diss. xxv. *Cap.* vii. *§.* viii. recensuimus.

 2. 

Sed ego in meo jure ab ancipiti vindico [a]. Nihil enim ex tribus his verum est [b]: quia neque ex alterutro seruntur animæ [c]. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque: de animis anima non potest, quia ex re tenui, & incomprehensibili [d] nihil potest decedere [e],

Ita-

a *Sed ego in meo jure ab ancipiti vindico* Al. *Id meo jure* Al. *vendicato* Al. *id in eo jure* Mira phrasis, inquit Heum. Quæ hoc sibi vult: contendo non sequi &c. vide reliqua in Diss. ubi supra. Heic nota: phrasim hanc esse Ciceron. in Verr. v. *Omnia postremo, quæ vindicas in altero, tibi ipsi fugienda sunt* & ibidem 178. *Sed ut illa etiam scelera ejus in Carbonem, & in Dolabellam vin-*

*vindicarentur* sensus est, *Ego mea facultate*, *seu authoritate*, *aut ratione decerno*. Cicero aliquando sine præpositione, aliquando *pro meo jure* in hoc eodem sensu hanc phrasim adhibuit.

b *Nihil enim ex tribus his verum est*. Ut vidimus Diss. xx. *Cap.* I §. v., & Diss. xxv. *Cap.* VII. §. VIII.

c *Neque ex alterutro seruntur animæ* Al. statim addunt *Corporibus*, quam merito vocem meliores cum Aldo respuunt. Francius mallet *inseruntur*; sed male, nam de seminali propagatione sermo est. Al. *seruntur anima*, *& corpus*.

d *Ex re tenui, & incomprehensibili* I. e. *incorporea* vide Diss. xxv. C. VII. §. XII.

e *Nihil potest decedere* Al. *decidere* L. I. *Cap.* III. *Seg.* 4. Noster ait *Id autem solidum existimandum est*, *cui nihil decedere*.

 3. 

Itaque serendarum animarum ratio uni, ac soli Deo subjacet.

*Denique*cœlesti sumus omnes semine oriundi:*
*Omnibus ille idem pater est*,

Ut ait Lucretius. De mortalibus [a] non potest quicquam nisi mortale generari. Nec putari pater debet, qui transfudisse, [b] aut inspirasse animam de suo nullo modo sentit [c]: nec si sentiat, quando, aut quomodo [d] id fiat, habet animo comprehensum [e].

 Ex

a *De mortalibus* Al. *nam de mortalibus*.

Qui

b *Qui transfudisse* &c. Heum. marte suo *transfundisse se.* Tertullianus id sibi visus est sensisse, quod heic jure negat Lactantius, & summa confidentia alios parentes compellat *L. de Anima cap.* XXVII. hisce verbis *Ut adhuc verecundia magis pericliter quam probatione, in illo ipso voluptatis ultimo æstu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoque sentimus exire?* Contra id, quod hist. II. Machab. VII. ℣. 22. *Nescio Qualiter in utero meo apparuistis: Neque enim ego spiritum, & animam Donavi vobis, & vitam, & singulorumMembra non ego compegi.*
Adde Psal. 93. Seg. seq. nota ultima.

c *De suo nullo modo sentit* Al. *de sua.*

d *Quando tamen, aut quomodo* Al. *qua ratione tamen, aut quo modo* Al. *Tò tamen* omittunt. Al. addunt, *aut quemadmodum* Al. *quantum* pro *quando* scribunt. Aldus legit nobiscum.

e *Habet animo comprehensum* Sic Aldus Al. *habeat omnino* Al. *habeat animo.*

* Lucr. L. II. ℣. 990.

 4. 

Ex quo apparet, non a parentibus dari animas, sed ab uno, eodemque omnium Deo patre [a], qui legem, rationemque nascendi tenet solus: siquidem solus efficit [b]. Nam terreni

a *Eodemque omnium Deo Patre* Al. *eodem* Heuman. *Omnium Patre Deo* Bon. *Patri.*

b *Siquidem solus efficit.* Aldus ex Codice Longobardico *effecit*, quæ lectio sententiæ minime congruit.

reni parentis nihil est, nisi ut humorem corporis, in quo est materia nascendi, cum sensu voluptatis emittat, vel recipiat. Citra hoc opus homo resistit c, nec quicquam amplius potest: & ideo nasci sibi filios optant [d], quia non ipsi faciunt [e].

---

c *Citra hoc opus homo resistit* I. e. *subsistit* ut supra Cap. VII. *Seg.* I. *mens si excurrere, aut resistere vellet* & *L.* IV. *cap.* XIX. *Seg.* 9. RESISTET IN CONTRIBULATIONE. Aldus *& citra* Al. *circa hoc opus* Al. *circa hoc etiam opus* Fulvius Ursinus mallet *intra hoc opus*.

d *Et ideo nasci ... optant*. Schottus: *Solacismus*, ait *optant* pro *optat*. Forte non male. Sed præcessit *a parentibus*, qui filios sibi nasci, & a Deo expetunt sibi dari. Al. *ideo nasci optat*, omissa copula, quam Aldus restituit.

e *Quia non ipsi faciunt* Alludit ad illud Psal. IC. ℣. 3. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*.

5.

Cætera jam Dei sunt omnia, scilicet conceptus & corporis confirmatio a, & inspiratio animæ, & partus incolumis, & quæcunque deinceps ad hominem conservandum valent: illius munus est, quod spiramus, quod vivimus, quod vigemus b.



---

a *Conceptus, & corporis confirmatio* Al. *conceptus & corporis informatio* Al. *conceptus ipse* Al. *ipsi* Al. *conformatio*.

b Hinc Spinozistæ discant quid illa sibi velint: *In quo vivimus, movemur, & sumus*.

 6. 

Nam præter quod [a] ipsius beneficio, incolumes sumus corpore [b], & quod victum nobis ex variis [c] rebus subministrat: sapientiam quoque homini tribuit, quam terrenus pater dare nullo modo potest. [d] Ideoque de sapientibus [e] stulti, & de stultis sapientes sæpe nascuntur, quod quidam fato, ac syderibus assignant [f].

a *Nam præter quod* Al. *præter quamquod* Lact. *L.III. cap.* VIII. *Seg.* 13. eodem modo ait *Nam præter quod*
b *Incolumes sumus corpore* Al. *incolumi*.
c *ex variis* Al. *ex necessariis*.
d *Dare nullo modo potest* Al. *nullo modo dare potest*.
e *Ideoque de sapientibus* Al. *& de sapientibus*.
f *Quidam fato, & syderibus assignant* Genethliaci nimirum, de quibus vide Diss. XXVII. *cap.* II. §. III. seq. Schottus *assignavit*.

 7. 

Sed non est nunc locus de fato disserendi, hoc dicere satis est, quod etiam si astra [a] efficientiam [b] rerum continent [c], nihilominus omnia a Deo fieri certum est, qui astra ipsa effecit [d], & ordinavit [e]. Inepti ergo, qui hanc potentiam [f] Deo detrahunt, & operibus ejus [g] attribuunt. Hoc igitur Dei munere cœlesti, atque præclaro ut utamur [h], in nostra esse voluit potestate [i].

Hoc

a *Quod etiam si astra*. Sic omnes præter unum Bon. qui habeat *Etiam quod si*.

b *Efficientiam*: *De Ira cap. x. Seg. 27. effectionem* dixit Noster, & icciroo a Walchio reprehensus; injuria tamen; utraque quippe voce usus est Cicero eodem sensu *L. II. de Nat. Deor. 95. Aspexissentque solem*, inquit, *ejusque cum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent*. Et III. *de fin. 24. effectio artis & L. II. 45. Sic recta effectio*.

c *Continent* Schottus *contineant*.

d *Effecit* Al. *& fecit*.

e *Nihilominus a Deo fieri omnia, qui astra ipsa effecit, & ordinavit* Al. post *Tò omnia* addunt *certum est* prave, nam præcessit *Hoc dicere satis est*, quod totam regit periodum.

f *Qui hanc potentiam* Al. *potestatem*.

g *Et operibus ejus* Al. *& operi ejus*.

h *Ut utamur* Sic etiam Aldus Al. *an utamur, an non utamur* Al. secundum membrum omittunt.

i *In nostra esse voluit potestate* Al. *voluit esse*. De conjugio heic sermo est, ac de munere procreandorum hominum, cujus usuram in nostra Deus posuit voluntate: juxta illud Apostoli I. *ad Corinth.* VII. ℣. 7. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Ubi Theodoretus ait *consolatus est eos etiam, qui sunt juncti matrimonio, Dei donum appellans matrimonium. Ab illo enim dono, & gratia quis adjutus, etiam conjugalem recte exercet continentiam*, de qua infra etiam noster loquitur.

 8. 

Hoc enim concesso, ipsum hominem virtutis sacramento religavit [a], quo vitam posset adipisci [b] *.

 Ma-

a *Virtutis sacramento religavit* Bon. *relegavit*, solita

ta mutatione *e* in *i* *Religavit*: id eſt *fortius*, *arctiuſque ligavit*, novoque, ultra humanitatis nexum, divinæ virtutis obſtrinxit matrimonii ſacramento, quo homo fieret quodammodo Deo ſimilis, tam in eſſendo *unum*, quam in producendo homines ſibi in natura ſimiles, ut mox clarius dicemus.

b *Quo vitam poſſet adipiſci* Al. *qua* Al. *poſſit*. Duo heic innui facile poſſunt: nempe: & vita naturalis, & ſupernaturalis: illam enim adipiſcitur proles ex matrimonio ſuſcepta. Hanc conſequuntur parentes, ſi rite ſacramento matrimonii jungantur, utanturque; Vide Diſſ. xxxv. *Cap.* II. §. IX. Quæ ſequuntur uſque ad *Magna eſt enim* &c. ſpuria a pleriſque omnibus judicantur.

* 9.

Magna eſt enim vis hominis magna ratio, magnum ſacramentum [a]. A quo ſi quis non defecerit, nec fidem ſuam, devotionemque prodegerit [b], hic beatus, hic denique (ut breviter finiam) ſimilis Deo ſit, neceſſe eſt [c]. Errat enim quiſquis hominem carne metitur [d]. Nam corpuſculum hoc, quo induti ſumus, hominis receptaculum eſt [e]. Nam mens hominis [f] neque tangi, neque aſpici, neque comprehendi poteſt, quia latet intra hoc, quod videtur [g].

Qui

* *Dedit ei, & conſtituit adverſarium nequiſſimum, & fallaciſſimum ſpiritum, quocum* (1) *in hac terreſtri vita ſine ulla ſecuritatis requie dimicaret. Cur autem Deus hunc vexatorem generi* (2)*hominum conſtituerit, breviter exponam.*

*nam*. Al. heic Caput XIX. claudunt. Et XX. inchoant, ut sequitur.

*Ante omnia diversitatem voluit esse: ideoque vulgo non aperuit veritatem, sed eam paucissimis revelavit: quæ diversitas omne arcanum mundi continet. Hæc est enim, quæ faciat* (3) *virtutem, quæ scilicet sine ipsa non modo non esse, sed ne* (4) *apparere quidem posset: quia virtus esse non poterit,* (5) *nisi fuerit compar aliquis, in quo superando vim suam, vel exerceat, vel ostendat. Nam ut victoria constare sine certamine non potest, sic* (6) *nec virtus quidem ipsa sine hoste. Ita quoniam virtutem dedit homini, statuit ei e contrario inimicum, ne virtus otio torpens naturam suam perderet. Cujus omnis ratio in eo, est, ut concussa, & labefactata* (7) *firmetur, nec aliter ad summum fastigium possit venire nisi prudenti* (8) *manu semper agitata, se ad salutem suam dimicandi tenore fundaverit.* (9) *Noluit enim Deus hominem ad immortalem illam beatitudinem delicato itinere pervenire. Daturus ergo virtutem, dedit hostem prius, qui animis hominum cupiditates, & vitia immitteret: qui esset autor errorum, malorumque omnium machinator:* (10) *ut quoniam Deus hominem ad vitam vocat, ille contra, ut rapiat, & traducat ad mortem. Hic est, qui aut inducit, aut decipit eos, qui veritati student: * aut si dolo, & studiis non quiverit, virilem gerit animum, quo sublimium vigorem labefactare conetur, infanda dictu, & execrabilia moliens: vexat, interficit: & tamen ut prosternit multos, sic a multis victus. prostratusque discedit.**

* *Dedit ei*. Quædam Mss. exemplaria, ac nonnulla typis edita inter *Tò adipisci*, & *magna* hanc orationem inserunt, quæ nihil cum hac disputatione habet commune, & merito a Thomasio, Schotto, Aldo, & aliis plerisque omnibus, præter Isæum, tamquam adulterina rejicitur. Nos heic extra textum illam

lam damus, & Diss. xxxiv. *cap. II.* §. III. ac Diss. xxxvii. *cap. I.* §. II. quare id factum sit ostendimus.

(1) Al. *Cum quo*.
(2) Al. *homini*,
(3) Al. *facit* Al. *faciat esse*.
(4) Al. Illa posponunt.
(5) Vide ad L. VI. Cap. XVIII. seq.
(6) Al. *ne*.
(7) Al. *labefacta*.
(8) Al. *trudenti*.
(9) Al. *fraudaverit*.
(10) Vide Cap. VII. Seg. 1. de M. P.

a *Magnum sacramentum.* Iterum ad dictum Apostoli respicit *V. ad Ephes.* ℣. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Scilicet, quia Christus ad sacramenti dignitatem matrimonium evexit, & sola Ecclesia sua hoc privilegio donata est. Vide ad L. II. *cap.* X. *Seg.* 21.

b *Nec fidem suam, devotionemqne prodegerit* Sic etiam Aldus, Al. *prodiderit* Al. *præstiterit* Al. *perdiderit.* Nostram lectionem, inter omnes optimam judicamus, *prodigere* enim proprie est *prosternere*, seu *prostituere*. Varro II. *de* R. R. *cap.* iv. de suibus loquens *Seg.* 8. *Admissuras quum faciunt*, inquit, *prodigunt se in lutosos limites, ac lustra, ut volutentur in luto, quæ est illorum requies* & *L. III. cap. IX. Seg.* 10. ex antiquo Cod. Ursini apud Gesnerum. *Prodigere solent in sterquilinium, ubi se volutare possint.* De fide autem, ac devotione conjugali, de quibus heic Lactantius agit, vide ad. *L.* III. *cap.* xxi. *Seg.* 4. & seq. Diss. XXVIII. *cap.* iv. *Seg.* iii.

c *Similis Deo sit necesse est.* Similitudo duplex esse potest, ut paullo supra indicavimus; nam sicuti Deus in divinis quamvis trinus in personis, unus tamen est

in

in natura, juxta illud I. *Johan.* C.V. ℣. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo: Pater, verbum, spiritus sanctus; & hi tres unum sunt; sic quodammodo vir, & uxor non sunt duo, sed una caro Genes. XI.* 24. I. ad Corinth. VI. 16. & Matth. XIX. ℣. 5. Item: quemadmodum Deus quum hominem finxit: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, MAREMQUE, ET FOEMINAM *fecit eum*; ita his matrimonio junctis, facultatem dedit, homines sibi similes procreandi. Vide Diss. XXV. *cap.* VII. §. I.

d *Errat enim quisquis hominem carne metitur.* Si quis enim hominem ex iis solumodo, quæ ex corpore habet, considerare velit, non hominem profecto, sed viliorem eius partem æstimabit, cujus materia cum vase fictili communis est: unde sequitur.

e *Nam corpusculum hoc, quo induti sumus, hominis receptaculum est* Supra *cap.* I. *Seg.* II. *L.* II. *cap.* III. *Seg.* 8., & alibi sæpe, hoc eodem loquendi modo utitur Lactantius, quo Animam, hominis constitutivum determinat, & partem esse ipsius potiorem; non autem, in ea dumtaxat totius hominis rationem decernit; ut ostendimus Diss. XXV. *cap.* VII. §. VI. & heic *cap.* VIII. *Seg.* 3. & *cap.* XI. *Seg.* 3.

f *Nam mens hominis* Al. *nam ipse homo* Isæus hanc, Thomasius illam lectionem tuetur, eique adstipulatur, Aldus.

g *Intra hoc, quod videtur* Al. *in hoc*.

 10. 

Qui si delicatus, ac tener [a] in hac vita fuerit, quam ratio ejus exposcit, si virtute con-

a *Qui si delicatus ac tener . . . quam ratio* Sic etiam Al-

contempta, desideriis se carnis addixerit: cadet, & premetur in terram [b]: si autem (ut debet [c]) statum suum, quem rectum sortitus est [d], prompte, constanterque defenderit, si terræ, quam calcare debet, ac vincere, non servierit: vitam merebitur sempiternam [f].

CA-

Aldus. Al. *qui si delicatus magis . . . quam ratio* non infrequens Lactantio *Tò quam* adhibere pro *magis*, seu *potius quam*, ut suis locis notavimus. Vide *L.* I. *cap.*3. *Seg.* 7. & Bunem. ibidem.

b *Et premetur in terram* Bon. *premitur* Al. *punietur in terra*.

c *Si autem, ut debet.* Al. *sin autem* &c. Al. *ut decet*.

d *Quem rectum sortitus est.* Aldus quoque sic legit. Al. *quum rectum recte sortitus est.* Al. *rectum rectus* Al. *rectum recta ratione* Al. *quem recte sortitus est.* Al. *quem rectus sortitus est*. Vide Diss. xxv. *Cap.* VII. §. I.

e *Quam calcare debet, ac vincere* Al. *quam calcare, ac vincere debet*.

f *Vitam merebitur sempiternam. Meritorius aliquis*, inquit heic Betulejus, *heic fortassis aures arrigit: parum memor, quod paullo ante pactus est, ne qui* fidem, devotionemque prodat; *nam collapsa fides, collabentur omnia* Ideo etiam Bunemannus quoties Lactantius de merito bonorum operum loquitur, semper *mereri* exponit per *adipisci*, in quo cum Luthero, & Calvino desipiunt, ut Diss. xxxv. *cap.* VII. §. VI. ostendimus, non solum ex Lactantii sententia; sed etiam & potissimum ex Christi Domini, ac totius Ecclesiæ suæ perpetua & inconcussa doctrina.

## CAPUT XX.

 I. 

HÆc ad te [a], Demetriane, interim paucis, & obscurius [b] fortasse, quam decuit, pro rerum ac temporum necessitate [c] peroravi: quibus contentus esse debebis [d], plura & meliora laturi [e], si nobis indulgentia cœlitus vênerit [f].

Tunc

a *Hæc ad te* Hisce verbis in quampluribus exemplaribus, tam Mss., quam impressis, initium sumit Cap. XXI. nam, quæ a nobis rejecta sunt, in illis eum obtinent locum, qui partim ad finem *capitis* XIX. partim ad *cap.* XX., non sine veteratoris artificio, pertinere ostentabatur.

b *Et obscurius* Al. *obscuris*.

c *Pro rerum, ac temporum necessitate*. Durante enim persecutione Diocletianea, hæc Lactantius scribebat, ut Diss. VI. *c.* I. §. III. demonstravimus.

d *Debebis* Al. *debeas* Al. *debes.* Aldus nostram sequitur lectionem.

e *Et meliora laturi* Al. *lecturus* Al. *laturus* Al. *locuturus* In nostro Codice *lecturi* scriptum erat, deinde ab eadem manu deletum, & loco illius *laturi* exaratum apparet, videturque esse lectio vera, sequitur enim *si nobis*.

f *Indulgentia Cœlitus venerit* I. e. *Permissio* ex Ecclesiæ pace ab Imperatoribus in Christianos sævientibus, Deo dante, concedatur: quamvis etiam pro venia,

nia, & peccatorum remissione non ab Ecclesiasticis solum, sed etiam ab Ethnicis scriptoribus usurpatam hanc vocem videamus. Vide Modestin. in *L. Lucius* ff. *ad Senat. Consult. Turpilianum*, & Capitolin. In *Antonino Pio*. Heic vero Lactantius in primo sensu eam adhibere videtur, quum ipse inter lapsos nusquam recenseatur; & *Lib. de Mort. Persecut. Cap. xxxv. Seg. 3.* eodem sensu dicat, ab Imperatoribus *Indulgentiam Christianis communi titulo datam*. Vide quæ a nobis ibidem annotata sunt, simulque *ad cap.* XXXIV. *Seg.* 4.

 2. 

Tunc ego te [a] ad veræ philosophiæ doctrinam & planius, & verius [b] cohortabor [c]. Statui enim quam multa, utpotero [d], literis tradere, quæ ad vitæ beatæ statum spectent [e]: & quidem contra philosophos, quoniam sunt ad turbandam veritatem [f] perniciosi, & graves.

In-

a *Tunc ego te* Al. *Tunc & ego te*.

b *Et planius, & verius*. Quamvis in nostro Bon. Cod. lego solumodo *& planius*; tamen ex Aldo, & plerisque aliis addo *& verius*. Al. *plenius, & uberius* Cicero, ex Bunem: *L.3. Famil. Epist.* XI. junxit *planius, & uberius* Lact. IV. XXX. 14. *postea plenius, & verius*

c *Cohortabor*. Al. *exhortabor*. Nescio an Lactantius hoc per epistolas præstiterit, quarum ad Demetrianum hunc libros duos dedisse, Hieronymo teste, didicimus; perierunt tamen omnes hujusmodi libri. Certum autem est, nullum aliud opus, Demetriano a Lactantio nuncupatum a scriptoribus memorari.

d *Statui enim quam multa , ut potero* &c. Al. *Tò ut* non habent. Hinc vero plerique colligunt, Libros divinarum Institutionum, Lactantium perscribere tunc meditasse; & forte dubito, quin Demetriano suo eos Lactantius destinasset; quamvis ad Imperii culmen Constantino M. Evecto, illos deinde nuncupandos esse judicaverit Imperatori, sub cujus auspiciis illas dixit inchoasse L. I. cap. I.

e *Quæ ad vitæ beatæ statum spectent* Bon. *expectent*, quod verbum fere semper sic mutatum reperio in nostro Codice. Codex autem Pa latino - Vaticanus simus omnium, qui in ea Bibliotheca ejusdem Authoris asservatur, & n. 161. obsignatus est, quo etiam usi sumus, heic deficit. An vero titulum libri septimi Divinarum Institutionum hisce verbis Lactantius indig itaverit, mihi, fateor, non liquet.

f *Ad turbandam veritatem* Al. *ad perturbandam L.* III. *cap.* I. *Seg.* I. *Philosophis . . . turbantibus eam Scilicet veritatem.*

 3. 

Incredibilis enim vis eloquentiæ [a] & argumentandi, differendique subtilitas quemvis [b] deceperit: quos partim nostris armis, partim vero ex ipsorum inter se concertatione sumptis revincemus [c]: ut appareat eos induxisse potius errorem, quam sustulisse.

a *Incredibilis enim vis eloquentiæ.* Al. *incredibilis est enim* Al. *Tò est* postponunt.

b *Quemvis* Al. *quamvis*, prave; valet enim *quemcumque*.

c *Quos partim nostris armis, partim uero ex ipsorum*

*rum inter se concertatione sumptis*, *revincemus*. Hinc mirari cesses, si aliquando probabilibus, aliquando etiam falsis propositionibus adversarios aggrediatur Lactantius; illos enim propriis doctrinis sæpe aggreditur, quum vanum erat illos aggredi extraneis.

 4. 

Fortasse mireris, quod tantum facinus audeam. Patiemur ne igitur extingui, aut opprimi veritatem? Ego vero libentius vel sub hoc onere defecerim.

 5. 

Nam si M. Tullius eloquentiæ ipsius unicum exemplar ab indoctis & ineloquentibus, quia tamen [a] pro vero nitebantur, sæpe superatus est: cur desperemus, veritatem ipsam contra fallacem, captiosamque [b] facundiam, sua propria vi, & claritate valituram?

a *Ineloquentibus*; *quia tamen*. Al. *qui tamen* Bunem. Alibi, *inquit*, vocabulum *ineloquens* non inveni. Quæ Krebsius *p.* 27. de Stylo Lactantii *vitiose citavit*, *Walchius æque prave in diatriba p.* 61. *reddidit* Nempe VII. 5. & 11. ubi non *ineloquens*; sed VII. V. *Seg.* 9. *ineloquibile* & L. eodem *cap.* XI. *Seg.* 2. *ineloquibiles*, habetur. Utramque tamen vocem reperies in Thesauro L. L. H. & R. Stephani cum animad: Birrii edit. Basil. MDCCXL. Composita enim sunt ab *in* & *Eloquens* ab *in* & *Eloquibile*. Quæ antiquis minime inusitata fuisse videntur, quum Cato apud Cic. *de senectute* n. 31. *Eloquax*

*quax* dixerit pro *Loquax*, & *Nov. de Trin.* XXIX. *gemitibus ineloquacibus* perſcripſerit.

b *Captioſamque.* Al. prave *copioſamque*.

 6. 

Illi quidem ſeſe patronos veritatis profiteri ſolent. Sed quis poteſt eam rem defendere, quam non didicit: aut illuſtrare apud alios, quod ipſe non noverit [a]?

a *Quod ipſe non noverit* Sic etiam Aldus. Al. *quam ipſe non novit* Al. *quæ ipſe*.

 7. 

Magnum videor polliceri: ſed cœleſti opus eſt munere, ut nobis facultas, ac tempus [a] ad propoſita perſequenda tribuatur.

a *Facultas, ac tempus* Bon. *ad tempus*.

 8. 


Quod ſi vita optanda eſt ſapienti [a]: profecto nullam aliam ob cauſsam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam, quod vita dignum ſit, & quod utilitatem legentibus, etſi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ rivus eſt, ad vivendum tamen afferat: quod eſt maxime neceſſarium.

a *Optanda eſt ſapienti* Al. *eſt optanda*.

9.

Quo perfecto [a] satis me vixisse [b] arbitrabor, & officium hominis [c] implevisse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cœleste direxerit.

*FINIS.*




6
Ф
30

a *Quo perfecto.* Al. *quo profecto*.

b *Satis me vixisse* Bon. *bixisse* Al. *dixisse* Al. *fecisse*.

c *Et officium hominis* Hanc ultimam vocem Heum. delendam, quia e margine illatam, judicat, sed nemo eum hactenus audivit.



